







No.

Harrison Gray Otis.

"Legere, et non Intelligere; est negligere."

Mythologia Ethica, hoc est moralis philosophiae per fabulas brutis attributas, traditae, amoenissimum viridarium: In quo humanae vitae lab ----

ab Arnoldo Freitagio Embricensi latine explicatis, aeri incisum.

Antverpiae Philippo Galleo Christophorus Plantinus excudebat. M.DLXXIX. (1579) titre gravé

in 4° de 4 ffnc et 252 p. (dont la dernière non chiffrée est blanche)

La marge est très courte, et le titre ~~pr~~ ainsi que quelques feuillets ont été ~~rognés~~ endommagés par le couteau du relieur; un raccommodage au dernier feuillet.—

Brunet ni Graesse ne cite cet ouvrage

Nombreuses gravures, qui d'après la souscription du titre paraissent devoir être de Philippe Galle.

George C. Keidel,
Rec'd Feb. 24, 1897.


Johns Hopkins
University.

Mythologia
Baltica

Freitag, Arnoldus

740

MYTHOLOGIA ETHICA,



ANTVERPIÆ,
Philippo Gallæo Chriſtophorus Plantinus excudebat.
M. D. LXXIX.

CLARISSIMIS OPTIMISQVE VIRIS ABRAHAMO ORTELIO HISPANIARVM REGIS GEOGRAPHO, ET ANDREAE XIMENIO LVSITANO, ARNOLDVS FREITAGHIVS S. D.



VAM ſit præclarum ænigmaticum illud philoſophandi genus, quo per ſinuoſa verborum inuolucra in veritatis penetralia veluti è tenebris in lucem, ac caliginoſa nube in lucidiſſimũ στερέωμα mortales deducuntur, non ignoratis, viri ornatiſsimi; neque hic locus poſtulat infinita illa nodoſi ſermonis volumina ac docendi genera perſtringere. id præſens negotium efflagitat, vt quantum vulgari præſtet, operis ingreſſu non tam doceamus quàm moneamus; nam quo fertilior ſeſe laudum campus offert, eo ſuſceptum opus minus laudandum cenſeo, quòd vendibili vino, vt aiunt, opus non ſit hedera ſuſpenſa. Vnum ſanè illud eſt, & quidem præſtantiſsimum moralis philoſophiæ genus, quod per apologos mira cum delectatione à vitiis ad virtutem, à praua viuendi conſuetudine ad temperantiam atque adeò frugem hominem traducit: quamplu-

chrè autem illud à fabulatorum vetustissimo coryphæo AEsopo præstitum sit, nullus est qui ignoret, & si quis forsitan sit qui eius Mythologias non admodum magni faciendas esse existimet, is quæso in ipsius scriptis examinandis ingenij aciem paulo diligentius intendat, videatque quàm scitè, quàm appositè, animantium, stirpium, hominum, animatorum denique atque inanimatorum proprias ac peculiares affectiones naturasq. inuestiget, quàm non temerè aut casu rebus sermonem attribuat, quàm religiosè rerum συμπαθείαν καὶ ἁρμονίαν siue concentũm obseruet, quod vt vno atque altero exemplo patefaciam (nam singula persequi prolixi esset commentarij) quid potuit fingi venustius atq; ad naturam accommodatius, quàm mustelæ contra basiliscum astutia, vbi admirandam rutæ contra venena vim ac pręsentissimum ἀλεξητήριον nobis considerandum reliquit, in gallo autem gallinaceo generosissimum ac ferocissimum animantium cantu suo leonem fugando occultam naturæ operationem, in communi morum ratione mulierculæ auaritiam, gallinam aurea oua parientem secantis, quòd hic sexus viris sit, cum suo etiam sæpè dispendio, ad rem attentior. De fabularum autem ac similitudinum (res enim propè eadem est) dignitate nulla est controuersia, quando ipse mediator Dei & hominum, Deus & homo Christus, proteruam Iudæorum peruicaciam, gentilium perfidiam, vulgi stupiditatem,

Pha-

Pharisæorum fastum ac contumaciam contuderit, perfregerit, erudierit, docuerit parabolis & exemplis. quid? quod ænigmatis tortuosisque quæstionibus diuina mysteria vulgo proposuerit, neque ad sacrosancta adyta quemquam præter eos qui à terrenis sordibus mentem despumarant, admiserit: partim rerum arduarum magnitudine terreri infimos insinuans ac gradibus quibusdam ad cælestis sapientiæ apicem deducendos: partim latentem quandam in hoc instituendi genere delitescere energiam ac incredibilem voluptatem sitam esse. Nam cùm per anfractus diu hominem detineat, id tandem efficit, vt rebus è media vitæ consuetudine ac quotidianis actionibus petitis, quod minimè persuaderi antea potuerat, nunc vltrò arripiat, amplectatur, & quòd absurdum quandoque videbatur, ex paradoxo populare postea ac suspiciendum venerandumque reddat: adeò cæca caligine in hunc carcerem deturbati nostri sunt animi, ita voluptatum ac corporis cœno immersi, vt huiusmodi conuinci argumentis gestiant, vt horum doctrina rationi obtemperare malint, quàm abstractis à sensuum iudicio rebus. quòd igitur ea moralis philosophiæ tradendæ cum omni hominum generi, tum vel maximè vulgo via sit expeditissima, neque minus quàm apophthegmata, Chreæ, sententiæ, quorum laudi nullus vnquam sapiens detraxit, virium habeat, ex his abundè li-

quet . Eapropter optimi viri , cum hic fabularum non Æſopicarum modò , ſed quorumcumque quæ hactenus haberi potuere, libellus non ita multò ante è Belgico in Gallicum idioma vernaculo vtriſque carmine tranſlatus ſit, veſtro hortatu , qui Stoæ veteri ac virtutum ſcholæ impensè fauetis, eum Latio donandum cenſui , æquabili ac plano , nec non à poëtarum legibus vindicato ſermone , cum pluribus de cauſsis tum hiſce potiſsimùm , quòd ſolutam orationem à pluribus quàm numeris aſtrictam legi in confeſſo ſit, quoniam ea plerique magis delectentur , quàm carmine , cùm facilius maior lectorum pars eam aſſequatur . præterea vt omnium non artificum modò liberaliorum cœtui , pictorum dico, ſculptorum , architectorum , & ſimilium hunc libellum, quo nihil in eo genere , vel ipſorum iudicio , hactenus prodiit elaboratius , commendatiorem redderemus , verumetiam iis nationibus eius faceremus copiam , ac muta quæ in eo ſunt animantia redderemus vocalia , qui neutrum iſtarum linguarum , quibus hactenus editus eſt , callent . quod nos potiſſimum Latinæ linguæ beneficio conſecuturos non ambigimus . Id etſi pro voto meo nondum conſecutus ſim , erunt tamen qui meam operam , conatum , ac ſubſeciuas horas non aſpernabuntur , ſi qui ſugillauerint, erit hoc mihi cùm multis commune, non probari omnibus : vobis autem ob veterem conſuetudinẽ

atque

atque amicitiam noctes meas Atuaticas dedico conſecroque: has virtutis cultores Socratico amore fouete, illis & mihi à Mercurio longo poſtliminio ad Muſas redeunti indulgete. non minus vobis hæ fabulæ quàm diuini Platonis matura diuinaque philoſophia, Socraticæ inductiones, Pythagoræ abſtruſa reconditaque inuolucra, Epicteti præcepta, Cebetis humanæ vitæ labyrinthi fabuloſæ ethices doctrinæ perſimilis, aut denique ipſa hiſtoria vitæ magiſtra, vtilitatis commodique adferent. neque enim diffidendum eſt fore hanc Æſopicam philoſophiam optimam vitæ inſtituendæ magiſtram, cuius auctor ſapientiſſimus quandoque Solonem monuerit, cum regibus ἢ ἥκιστα ἢ ἥδιστα loquendum eſſe, neque eum morum nobis leges ferre verecundabimur, quem Græciæ tantum lumen ac ſuperbiſsimarum Athenarum legiſlator prudentiſsimus monentem audire non faſtidiuit. non minus fortaſsis ex harum fabularum lectione, dum ſimul oculos & animum paſcitis, profecturi quàm Amadiſij commentis, Arioſti poëmatis, atque id genus innumeris ſcriptis. ſub quibus libenter fatemur tecta eſſe quamplurima, quæ ad communem vitam, politicam adminiſtrationem, aulicas technas, rem militarem, non parum lucis adferunt. Speramus autem & Latinæ linguæ candidatis ob rei varietatem, ac multiplices dictionum nomenclaturas, quæ hic perpetuò, rarò alibi, occurrunt, hoc opuſculum nec

ingra-

ingratum, nec inutile futurum. Valete & pergite, vt facitis, veſtram vterque Spartam exornare. Antverpiæ anno reſtitutæ ſalutis CIↃ. IↃ. LXXIX. Nonis Iunij.

IN ZOILVM.

Liuide qui cunctas exoſus conteris artes,
Si tibi quid noſtri diſplicet ingenij;
Sodes carpe, doce, dabimus poſthac meliora.
Carpere nil artis, ſed meliora dare.
Vulnere frondeſcit virtus, rubigine ferrum
Contrahitur, rectè cote niſi polias.

HEXASTICHON LIBRI
AD LECTOREM.

Paruæ molis eram Phrygio dictante magiſtro
  Multorum factus grandior inde opibus
Æſopus quondam monſtroſo corpore nanus,
  Gibboſus, labeo, mente ſed ingenua.
Graiis me Graio contexuit ante cothurno:
  Nunc Scytha, nunc Afer, nunc terit Auſonia.

AVRIGÆ ET EQVI FABVLA.

EQVVS quidam ab iniquo domino peßimè habitus, ita vt ob inediã ſtrigoſus ac macie cõfectus cute oßibusq́; miſeram tegeret animam, in difficilẽ quendam altoq́; cœno demerſum locũ deducitur, vnde cũ ſe explicare nequiret, à tetrico ac iracundo auriga immaniter vapulabat: quare multa ſecum ingemiſcens, cũ loci difficultatem & heri ſibi plus operis imponentis quàm ferẽdo eſſet, incuſaret inclementiam, magis magisq́; ab excandeſcente eſſedario (qui ſeminecis miſeriæ nullo doloris affectu tangebatur) impulſus fuſtigatusq́; hoc demum ſolatij loco exhalaturus animam, audire cogitur: Debes tu verò hinc te hodie extricare, aut extrema à me experiri.

QVADRAT in δημοϐόρης fabula, qui veluti hirudines adeò grauibus ſubditorum ſanguinem exactionibus eliciunt, vt præter cutem atque oſſa ſalui miſellis nihil ſit.

Into-

Intolerabilis exactionum ſæuitia.



Ite ergo & operamini, paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum.
Exod. 5, 18.

Cvm *omnia animantium genera, leo regia inter ea dignitate præfulgens, graui se morbo oppressum simulãs, ad statã diẽ adesse iußisset, quo de imperij negotiis cognosceret, pacatumq́; se mortuo posteris regnũ relinqueret, obsequuntur omnia ac præstituto die frequentia ad regiam comitiorum nomine conuolãt. Sola vulpes astu reliquas superans, abeuntium vestigia in puluere contemplata, regis aspernata imperium vesanam ac inconsideratam vltimorũ temeritatem incessens, Næ vos estis, inquit, insanæ ac verè eo quo appellamini dignæ nomine, bestiæ, quæ ad regiã commeantium vestigia non diligentius examinetis; meminisse quippe oportuerat ingressas quàm plurimas, rediisse nullam.*

Commendat præsens fabula eorum prudentiam, qui maturo consilio lenocinãtem improbi principis tyrannidem, qua misera plebecula, heu nimium facilè, irretitur, effugiunt, eósque vitant casses quibus capti sunt plurimi.

Pru-

Prudentia ex alieno periculo.



Astutus videns malum absconditus est: paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.
Prouerb. 27, 12.

QVERCVS ET VLMI.

IMPROBI *principis exemplum pulchro ordine consequitur quercus & vlmi fabula, qui cũ cruento quondam quercui consilio vt sui confirmandi ac stabiliendi caussa reliquas omnes arbores extirparet euelleretq́ȝ, molestè non modò suggereret, verumetiam prægnantibus suo iudicio rationib. atque argumentis persuadere conaretur, longa demum importunitate clementiß. regis, diu vlmi atroces preces dißimulantis ad iracundiã prouocat patientiam; cúmq. percontanti regi, ecquid sibi reliquis excisis arborib. contra tempestatum turbinumq́ȝ vim faciundum censeat, confusus nihil suggereret, grauißimis ei regiæ indignationis necisq́ȝ interminatis pœnis, si vlli in posterum negotium facesseret, à reliquarum arborum consortio eum eliminat.*

QVERCVS principi popularis demerendæ beneuolentiæ viam commonstrat, docetque qualis ipsius in subditos debeat esse affectus, vt videlicet secundę & aduersæ suorum fortunæ condoleat & communicet.

Prin-

Principatus ſubditorum ſalute confirmatus.



In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis.

Prouerb. 14, 28.

LEONIS ET ASINI.

LEO galli cucurientis (aiũt enim hanc eſſe inter illa animantia naturæ ægrã δυσώπησιν) voce attonitus fugã capeßit, quod fors ſtupidus quidã aſinus fugæ cauſſa non intellecta cõſpicatus, ſibi ipſi eã attribuit ac leonem inſequitur. leo tanto ſpatio emenſo, vt galli cantum nõ amplius audiret, eáq; formidine animũ liberaſſet, Sardonicè ridẽs conuerſus, in aſinũ irruit; quẽ cùm vnguibus diſcerperet, his verbis ſtoliditatis arguit: Ha, ha, ſiccine leonẽ aſino viſo conſternari ſeſeq; in fugã coniicere demens autumas? Inutili tibi exẽplo ſub meis hodie diſce vnguibus ſtolidum eſſe temerario quodã auſu diſcipulum ſeſe in certamen cum magiſtro committere; aut arroganti quadam præſumptione quicquam ſuis impar viribus audere.

PRAETERQVAM quod fabulę coronis vſum eius ſecum adferat, hoc etiam attexam: Veſaniæ cuiuſdã extremæ eſſe, naturæ ſuæ dotibus non conſideratis, alium ſe audere venditare; etiam hìs qui multis te nominib. excellunt, quàm reuera ſis.

Vis potentioris temerè laceſſita.



Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius. Eccleſ. 8, 1.
Noli reſiſtere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij. Eccleſ. 4, 32.

HOMINIS MORTEM ACCERSENTIS.

DECREPITÆ *ætatis senex ingenti quam baiulabat sarcinæ onere, & viæ molestia defatigatus, succumbit, ac mortem è vestigio arcessit; quæ cum vocantem exaudiisset ac pone esset, telumq́ iam in eum collimaret; Age, inquit, ô mors non ideò te acciui vt mihi vitam adimeres, sed vt ablata sarcina laboris partem tolleres ac itineris tædium leuares.*

FIT ita plerumque, vt cùm grauius aliquod nobis imminet malum, pristinæ obliti calamitatis, præsentem æquiori animo feramus molestiam: adeoque nullus sit ita confecta ætate, qui se annum non putet (vt inquit Cicero) posse viuere, addam & hoc, qui non etiam velit vel in maximis vitę ęrumnis perpetuò vitam traducere, existente natura ita sui sollicita conseruatrice.

Vitæ

Vitæ ærumnosi fictum tædium.



Melior est mors quàm vita amara: & requies æterna quàm languor perseuerans.
Eccles. 30, 17.
Melior est canis viuus leone mortuo. Eccles. 9, 4.

BASILISCI ET MVSTELAE.

OPACAM, *horridam, vepribusq́; coopertam speluncam immanis ac truculentus basiliscus inhabitans, aßidueq́; contra reliqua animantia excubans, mustelam quādam iuxta antrū quotidiè pascentem insidiosè obseruabat, sæpiusq́; egrediebatur vt eam abriperet, sperans se voti fore quandoq; compotem, cum pulchrè interim mustela hostis improbos conatus irritos redderet, ac impotentem nocēdi libidinē prudentia sua eluderet. Impauida enim suis munita armis specum hostis subit, haud ignara rutæ ramusculo (eam contra venena præsentißimam aiunt esse antidotum) quo corpori circumdato hostem sæpius remorata fuerat, in posterum se facilè eius veneni vim amolituram.*

MONET infirmiorem fabula, vt cautè ac prudenter contra fortiorem se communiat, suaque consilia instituat, cogitetq́. non tā viribus quàm prudentia eius machinationes conuellendas ac pessumdandas esse.

Con-

Conſilio & viribus munita defenſio.



Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Iacob. 4, 7.
In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere.
Epheſ. 6, 16.

GEMELLOS *cùm ſimius haberet fœtus, hos diſpari ratione educabat, ita vt tenerrimè complecteretur alterum, alterius ſibi vita mendis ſcatere perpetuò videretur, hanc ſuo dimouebat conſortio, illam adeò ſibi domeſticè coniunctéque conuiuere volebat, vt à ſuo numquam diſcedere latere pateretur; nullum denique, vt in vniuerſum dicam, in eius vita næuum deprehendebat; ſaltat itaque impunè, in orbem ſe verſat, nullumq́ue inſolentiæ genus, coarguēte nemine, prætermittit, quo fit vt coxã luxet: pater fors infortunio nati ſuperueniēs, ingentiq́ue luctu omnia cōplens, ſublatū in vlnas ita arctè cōplectitur ſtringitq́ue, vt animam è veſtigio exhalaret, ſimiolo inſano amore necem, ac ſibi mærorem concilians.*

COMPETIT in eos apologus parentes, qui cæco ac infelici amore ſuos liberos proſequuntur, nimia ſua erga eos indulgentia, ſibi ad extremum mærorem, ipſis exitium conſciſcentes.

Inſa-

Inſanus parentum erga pro-les amor.



Qui parcit virgæ, odit filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Prouerb.13,24.

C*onfuſio patris eſt de filio indiſciplinato: filia autem in deminoratione fiet.* Eccleſ. 22,3.

LEONIS ET EQVI.

AMPLO *patentiq́; campo famelicus quidã leo equum conspicatus, veteratoriè accurrit, ac se medicum professus suam equo operam offert, adiuturum se inquiens, si quo fors morbo corporísve vitio laboret. nam se præsentissima contra omnia morborum malorumq́; genera domi reposita remedia habere: at equus leonina versutia deprehensa, Opportune, ait; ades optatiss. medicorum, & cõmodùm te mihi pater Apollo misit Æsculapium; nam posteriorum pedum alterum latens exedit vomica, ille medicas postulat manus, ille tuam opẽ efflagitat, illi obsecro malagma applicato. Leo dum se vulnus consideraturũ simulans ad posteriora equi applicaret, ita ab eo calce petitur, vt communi sensu sua sede turbato attonitus in terram corrueret.*

FERE fit vt qui de aliis circumueniendis ac supplantãdis satagunt, simili aut maiori astu illusi suę fraudis talionem reportẽt, & quod in parœmia est, In scrobem incidant, quam alteri effoderunt.

Dolus

Dolus prudenti astu elusus.



Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Prouerb. 27, 6.

In oculis suis lachrymatur inimicus: & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine.
Eccles. 12, 16.

VVLPIS ET GRVIS.

VVLPI Gruem inuitanti, prandium ipsa condixerat: cúmque venisset, puls ei lance apponitur: illa cùm ob rostri longitudinem vixdum famem ex paropside restingueret, salsè à vulpe irridetur. grus hanc tacitè ferens ignominiam, simili stropha vulpem ludificatura vicissim inuitat, ac epulum cucurbitæ infusum mēsæ infert, rogatq́; ne suas dedignetur gustare dapes; sibi enim eas vt lienem curaret præsertim paratas: ipsa dein rostro immisso lautè pascitur, atque opiparis dapibus suam ingluuiem farcit. Vulpem dein cauillata, vt ferculum placuerit, interrogat: Vulpes verò se rectè tractatam annuit, propriiq́; delicti percita conscientia, artem arte eludendam esse, ac malo nodo malum esse quærendum cuneum fatetur: neque defuturos qui eum decipiant, qui in decipiendis aliis omne suum studium collocat, cùm sycophantarum plena sint omnia.

Fraus

Fraus fraude compensata.



Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiã.
Prouerb. 3, 34.
Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. *Iob. 5, 13.*

PAVONIS ET LVSCINIAE.

DVLCEM *quandoq; Luscinia cantum pauo admirãs cùm audiret attẽtius, ei æmulatus, cũ Natura quòd sibi tantum beneficium quo præ cæteris auibus ob plumarum venustatem condecorari conuenisset, non impertita esset, expostulat. at prouida Natura suam ei vicißim ingratitudinẽ exprobrans, se cantus istius ac melodiæ vice alio nobilißimo quodam munere dotatum regerit, ac iniquè admodum agere, cũ nec suæ Luscinia prærogatiuæ inuideat, neque dotib. additq; actum sibi perpetuò agendum fore, si ex cuiusque præscripto ac sententia nouæ quotidiè rebus formæ inducendæ essent.*

PRAESENTIS fabulæ institutum est, receptis à Deo summo naturæ opifice beneficiis, quemlibet monere contentum esse, neque id curiosius anquirere, cur alia aliis dona indulta sint.

Natu-

Naturæ beneficæ iniuſta & ingrata criminatio.



Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus.
Hebr. 13, 5.

OVIS, LVPI, ET CANIS.

QVÆ peruetusta fuit ouibus cũ lupis discordia cùm in atrox quandoque exarsisset bellum, atque oues sub tutissimo robustissimorum canum præsidio degerẽt, suis diffisi viribus lupi pacem petunt, obsidesq́ suam ouibus sobolem pollicentur, si vicissim sibi canes concederentur. acceptant conditionem expertes fraudis ouiculæ, atq; eiuscemodi vtrinque pax legibus stabilitur: ne quod altera pars alteri priuata publicaq́ vi damnum det; si quid secus fiat ab vlla partium, ea ex legũ præscripto noxam luat. Vbi luporum catuli succreuissent, ipsi in oues, lupi in canes irruunt; incautũq́ gregem violata fide immaniter deglubũt discerpúntque.

CAVET nos hic locus, ne hosti temerè credamus, neque temerè de eius fide nobis quicquam promittamus qui fallere consueuit, verùm cum Cretense Cretisandum, &, quod sacri monẽt codices, amico reconciliato neutiquam esse fidendum.

IN-

Innocentia facilè decepta.



Non credas inimico tuo in æternum; ſicut enim æramentum æruginat nequitia illius; & ſi humiliatus vadat curuus, adiice animũ tuũ, & cuſtodi te ab illo. Eccleſ. 12, 10, 11.

LEONIS ET GLIRIS.

L EO *nescio qua fortuna aut à venatoribus adactus, aut alia sorte cùm in rete incidisset, ac frustra vel maximis laboribus sese explicare conatus, magis magísque irretiretur; cúmque nequicquam strennuè laboraret, præsentis periculi vicinitatem vehementer formidans, horrendum rugit: quo clamore glis, quem sibi quondam beneficio deuinxerat, excitatus accurrit, retisq́; arrodens fila leonem liberat, ac perpetuam sibi leonis opem operamq́; conciliat.*

SAEPENVMERO accidit, vt tenuiores ac humiliores vel maximæ etiam sortis hominibus gratificandi ac beneficij rependendi occasionem nanciscantur; quo fit vt nullius arroganter aspernanda sit conditio, neque quisquam ita vilis aut abiectus est, qui non quandoq; nobis vsui esse possit.

Bene-

Beneficij reddendi nemini prære-pta occasio.



Si bene feceris ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam. Eccleſ.12, 1, 2.

AQVILONIS, PHOEBI ET VIATORIS.

CVM *Aquilone de viribus Phœbo certamen ineunte, suasq; vtroque extremè deprædicante, intantum lis incruduit, vt cùm eius dirimendæ arbitrum electuri essent, experimento vter plus viribus polleret explorarent, viatorem statuunt cui qui penulam detraheret, is victoriæ palmam reportaret. Hunc primũ nimbosus Boreas ingenti procella adoritur; tantumq; abest vt suo impetu viatori vestem adimat, vt magis etiam magisq; eum inuoluat. at sol ita suo radiorum iubare ipsum pungit, vt lacernam æstus impatientia è vestigio à se viator abiiceret.*

EORVM commendat apologus vtilem operam, qui ratione potius ac comitate quàm violentia in suam alios faciunt condescendere sententiam; duci enim volunt, non cogi homines.

MO-

Moderata vis impotenti violentia potior.



Non quia dominamur fidei. 2. Cor. 1, 24.
Factus sum infirmis infirmus; ut infirmos lucrifacerem. 1. Cor. 9, 22.

CICA-

CICADÆ AC FORMICÆ.

Locvsta dum hiems appeteret à formica ſtipem emendicans, rogat vti ex aceruis à ſe congeſtis ſuam egeſtatem leuet. formica autem neglecti amœniſsimi temporis ei memoriam refricans, deſidia, otio, cantileníſq; cùm in tritico degeret traductã æſtatem exprobrat; tum, inquiẽs, venturi te temporis meminiſſe oportebat, cùm omnium rerum abundantia afflueres, diſce nunc hac egeſtate, qui tempori non laborat, neque occaſioni ſeruit, ſed luxu voluptatéque diffluit, miſerum quandoque ac omnium rerum indigentem moriturum eſſe, ac magno nimis immãtura ſua huiuſmodi gaudia comparaturum.

Temporis eſſe pretioſiſſimam iacturam vſuramque honeſtiſſimam docet fabuloſa narratio, occaſioni itaque dandam eſſe operam, neque ita indulgendum eſſe genio, vt in proſpera fortuna aduerſę atque in mediis gaudiis luctus imminentis obliuiſcamur.

Con-

Contraria induſtriæ ac deſidiæ præmia.



Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi.
Prouerb. 20, 4.

LVPI ET GRVIS.

LVPVS cùm ab osse deglutito propemodum strangularetur, multorum ope implorata, gruem demum pulchris ad illud eximendum promißis solicitat: persuasa grus collum lupino rictui indit, eiq́ue è gutture os extrahit. cũq́ue promissa officij præmia postularet, hoc à lupo respõsum refert: Adeóne es tu hebes, vt tecum non consideres, potuisse me tibi, cùm iugulo collum insertum haberes, vitam adimere; attamen tui misertus pepercerim? abi igitur, mihiq́ue id acceptum habe, quòd quam adimere tibi potueram, vitam habeas.

BENEFICIVM disce tum pessimè collocatum, cùm in ingratum confertur: neque aliâs vmquam tibi oleum operamq́ue veriùs perire, quàm in huiusmodi hominum genus profusa.

Fœda

Fœda ingratitudinis labes.



Ingrati enim fides tanquam hybernalis glacies tabeſcet, & diſperiet tanquam aqua ſuperuacua. Sap. 16, 29.

FRAXINI ET ARVNDINIS.

DVM Fraxinus arroganti quodã fastu spreta Arundine suum in cælum extolleret robur, Arundinisq; flexuosæ imbecillitati nimium insultaret, se tempestatibus ventorumq; ac turbinum impetui resistẽdis natum, eam vel minima aura conquassari inquiens, acris quidam ac ingens exoritur typho, Fraxinumq; imis reuulsum stirpibus prosternit: Arundo Fraxini ruinã contemplata, Quàm tuta, ait, interdum victoria, firmæq; vires sunt furori violentiæq; cedere!

INSANAM fastus Fraxini virium ac roboris ostentationem edocet, suoque exemplo demonstrat potentia temere nitentium vanitatem vt plurimum eludi.

Superbi faſtus colliſus.



Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede & exaltauit humiles.
Lucæ 1, 51, 52.

OPILIONIS FALSO SÆPIVS CONTRA LVPOS OPEM IMPLORANTIS.

VERSIPELLIS *quidã Opilio fraudis doliq́; insignis artifex, dum gregem pasceret, mentiendi quadam libidine nulla necessitate rusticorum ac sociorum contra lupos opem implorare consueuerat: quod cùm ab eo factum esset crebrius, ac vafer veteratoris omnibus innotuisset animus, cœpere eius in posterum clamorem floccifacere: accidit nõ multò pòst, vt è grege lupus quidam ouem raperet; opilio iam nõ per iocum, vt antea, sed vt præsens postulabat necessitas, ad pristinam vociferandi consuetudinem conuersus, surda à suis, quorum nequiquam auxilium accersebat, aure auditur, suiq́; mendacij ouis iactura luit pœnas.*

CVM mendacis illud sit prœmium, vt veritatem dicenti credat nemo; manifestum euadit, probrosam esse mentiendi consuetudinem ac perniciosam.

Men-

Mendacis pœna in veris deroga-ta fides.



Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo. Prouerb. 20, 17.

LVPI ET SCROFÆ.

Lvpvs Scrofam fœtam vicinamq́ partui resciens ad suas conuersus artes hanc adit, & obstetricandi artem simulans, ei suam offert operã. illa lupinæ fraudis non ignara, paucis ambagibus sua se opera egere negat, hanc sibi aliter per se licere collocare: at ipse partui deuorando instans, Scrofæ renuntiatione haud facilè permouetur, suamq́ operam etiam offerre impudentius vel in nutricandi munere, repulsam passus in vno, nititur. Scrofa lupi importunitate excandescens, Facesse hinc, ait, vel ex vnguibus & pelle te lupum insidiatorem esse cognoui.

Extremae cuiusdam vesaniæ esse docet Scrofæ in suis tutandis prudentia, improbis hominibus ac veteri vafricie extritis, suam salutem credere, atque in eorum tutela acquiescere, qui eò omnes animi neruos intendunt, vt proximi fortunas ac salutem in extremum discrimen adducant.

Fictæ amicitiæ non fidendum.



Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit greßibus eius.
Prouerb. 29, 5.

MVLIERCVLAE CVIVSDAM ET GALLINAE.

GALLINAM *mulier quædam aureũ sibi quotidie ouum parientem, magnum sanè domus suæ & rei familiaris fulcimen, alebat. de hac ipsa, cupidine prudentiam occæcante, quòd ouis scateret, perniciosam sibi animo opinionem concipit: nimiaq; spe lucri illecta, cùm vberiorem prouentũ speraret, ventrem secat, ac latentem ouorum thesaurũ explorat; vtq; se, spe & vnici illius & plurium frustratam animaduerteret, cæcam suam & præcipitem auaritiam accusat.*

ITA plerumq; fit vt cùm nimia opũ cupiditate insatiabilis auaritiæ charybdis æstuare incipiat, & ea quę adsunt perdat, & iis destituatur quæ quotidiana rerum vsura certò importabat: neq; de muliercula dumtaxat narratur fabula, sed cum de omnium hominum genere, tum vel maximè mercatoribus, quibus nil pensi est lucrãdi studio temerè suas fortunas ac pecunias sorti credere, neque prius acquiescere, quàm bis térve solum vertant, animamque omnibus debeant.

Nimia habendi cupido perdita.



Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.

Eccles. 5, 9.


MVLÆ.

MVLA quondam dum optimè iucūdiſſiméque paſceretur, neque vllis ærumnis laboribúsve vti cætera iumenta premeretur, tranquillioris vitæ ac otij pertæſa, genus ſuum proauosq́; odioſa quotidie contentione iactans, ex nobiliſſima ſe equorum indole prognatam, palæſtræ, curſui, atq; id genus exercitiis idoneam eſſe dictitabat, neque tam ingloriæ vitæ mancipandam; quo fit, vt poſt longas ſæpiusq́; reiteratas querimonias impetraret, vti è ſtabulo in carceres atque hippodromum ſuæ virtutis ac pernicitatis exēplum editura emitteretur: vbi cùm generoſiſſimorū equorum currendi peritiam conſpiceret, naturæ ſuæ tarditate ac ſtupiditate agnita, Hem, ait, iam me ego ex victa & inerti aſina proſeminatam conſpicio.

VSVS & experientia quemque quid poſſit admonent, euidentiſſimisque rationibus quantæ ſint cuiuſque vires, & quò ſe extendant, manifeſtum faciunt.

Pro-

Proditus ex opere artifex.



Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.
1. *Ioan.* 2, 4.

AD CAVLAM *properans lupus ouina pelle contectus, suam veruеci operam defert, rogatq́; vt secum in proximum longè amœnissimũ nemus exspatiet. at veruex se ita quidem aditurum fuisse asserit, si lupus ipse non ouis esset, qui vtrasque imbelles à ferarum iniuriis ac rapacitate tutari posset. gauisus tali responso lupus, depositis ouinis exuuiis, Sum equidẽ lupus, inquit; age vnà ad siluam contendamus. Videlicet teipsam opperiebar, ait veruex; noui enim etiamnũ quinam sis: nunc tu solus in malam rem abi, ego meã obseruabo caulam donec alium nanciscar comitem: sat mihi sit hoc tempore vel tantillum didicisse lupum pellem non animum mutare.*

ITA nouum non est ouina pelle contectos inter innocentes quamplurimos ac rapacissimos lupos, cruentasque degere feras.

Res

Res ex ſuperficie non iudicandæ.



Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Matth. 7, 15.

BVBVLCI IDOLVM SVVM CONFRINGENTIS.

BVBVLCVS *quidã idololatra Codro pauperior, cùm ad Deum ſuum tutelarem cui ligneã in larario ſtatuam colebat, indies confugeret, precibusq́; instanter fatigaret, neque ſuæ pietatis effectum vllum fructúmve capeſſeret, victus tandem idoli pertinacia, impatientiæ frena laxans aſcia pertundit, atque inſperato è fatiſcentis aluo deliteſcẽtem auri theſaurum producit, ac ſuo idolo inſultãs, Egregiè te eſſe malignum operæpretiũ eſt, qui vi quàm ſpontè, pertuſum quàm integrũ, conuicianti quàm roganti benefacere malueris.*

QVANDOQVIDEM per vim extortum beneficiũ nullam mereatur gratiam, adnitendum cuilibet eſt, vt vltronea ſpontaneaque liberalitate bene facere conſueſcat.

Ex-

Extortum beneficium.



Nam ſi commortui ſumus, & conuiuemus; ſi ſuſtinebimus, & cõregnabimus; ſi negauerimus, & ille negabit nos. 2. *Timoth.* 2, 11.

VVL-

VVLPIS AC FELIVM.

VVLPES *cum felibus iter faciens ſuam inſolenti quadam oſtentatione calliditatem atque aſtutiã multis nominibus laudabat: felium verò vſqueadeò deprimebat, vt in viliſsimis duabus potiſsimũ rebus earum vſum conſiſtere aſſereret; vnum, quòd delicatiorũ dominarum lætitiæ deſeruirent: alterum, quòd muribus inſidiarentur: dum hæc vtrinq; cõtrouerſia agitaretur, ita tamen vt vulpes murium officia improba inſectatione contaminaret, communes ſibi hoſtes canes à tergo imminere conſpiciunt; feles ſubitò conſcenſa arbore canum laniatum effugiunt; vulpes nullũ videns effugij locum capta; Heu, cùm ſtolida ſit, inquit, inanis iactantia, tum illud ſtolidiſsimum vituperare eos qui noſtræ ruinæ aut futuri ſunt aut fuere ſpectatores.*

FABVLA irriſores alienæq; vitæ ſuggillatores perſtringit, vulpisq; exemplo ignominiosè eos ſubinde, qui in aliis cauillandis voluptatem capiunt, vitam finire, ac maximi eos quos antea ſpreuerant, tum facere, cũ ſe iiſdem innodatos vident laqueis, quos iſti perruperunt, commonſtrat.

Vir-

Virtus verbis non re oſtentata.



Superbiam numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initiũ ſumpſit omnis perditio. Tob. 4, 14.

SERPENTIS ET INCVDIS.

SERPENS *Incudi infensus cùm eam ambedere conaretur, quanto eam rodit acrius, tanto sibi ipsi nocet magis: dum enim non videt, præsumptionis fascino excæcata, se ferri duritiem dẽtium fragilitate emollire non posse, atq; talem adoriri hostem cuius frustra lacessiti se vltionem euasurum sperare viresq́ꝫ conuellere, debeat, propriis se incautum dentibus destituit, atque huiusmodi ab incude responsum refert: O insane nimiũ, licet ærei tui dentes essent ac capiti quàm firmissimè iniuncti, nihil tamen contra innatam mihi soliditatem duritiemq́ꝫ profecturi essent.*

REPREHENDIT eorum dementiam fabula qui cùm nullis propemodum aut perquam exiguis viribus præditi sunt, cum iis congrediuntur quorum vires tantæ sunt, vt vel fortissimos aspernari ac pessundare queant.

Arrogans diſcipuli præ-ſumptio.



Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

Actor. 9, 5.

DVM fœtum cancer (ex eorum genere quos cammaros Plinius indigetat) aliam quandam natandi rationem quàm qua à natura & materna educatione imbutus erat, docere conaretur, priscamq́; ac retrogradam veluti indecoram calumniaretur, iniuria se reprehendi quòd haud aliter natare didicisset, regerit, paratum se si aliter à matre, exemplo natandi rationem edocente, instruatur, morem gerere, nunc cùm parens à seipsa dissideat, ac secus natet quàm se natare velit, nandi artis rudimēta aliunde sibi haurienda discendaq́; esse.

INIQVI censores ac aristarchi, qui cùm in aliorū moribus carpendis ac perstringendis lyncei sint, in propriis talpis cæciores existunt, notantur, iisdemque vitiis contaminatissimi sunt, quorum nomine reprehendunt alios, paucique qui veteris illud poëtæ norunt,

Turpe est doctori cùm culpa redarguit ipsum.

Do-

Doctrina exemplo dissentanea.



Qui ergo aliũ doces, teipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris. Rom. 2, 21.

LEPORIS AC TESTVDINIS.

LEPVS *cum testudine de velocitate ac pernicitate pedum contendens, suam ei tarditatem corporisq́ molem exprobrat, imperiumq́ sibi in eã vindicat: Testudo leporis fastu cõtemto, ne praeiudicatis sententiis in eius potestatem deueniret, rẽ explorari rogat, ac aduersarium in certamẽ prouocat, neq; se aliter ei quàm si victa sit hanc laudem suamq; libertatem cessurã testatur. dies locusq́ certaminis aßignantur: contendit vterque ad praestitutam metam; testudo totam diem noctemq́ cautè gradiendo leporẽ qui temporis nulla habita ratione vnico se cursu facilè eò peruenturũ sperabat, anteuertit, ac palmam praeripit.*

VSVS fabulæ est, In omni vitæ actionisque genere assiduitatem quamplurimum posse, cunctaque ardua industria ac diligentia demum superari, ac lentè festinando, quod monet ille, plus effici quàm præmatura properatione.

Natu-

Natura aſſiduitate ſuperata.



Neſcitis quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt: ſed vnus accipit brauium. ſic currite vt comprehendatis. 1. Cor. 9, 24.

CORVI ET OVIS.

COMPARATVM ita est, ut quãuis improborum dißimilia sint ingenia, neque eadem malitiæ ratio, ne inter ipsos quidem, in eo tamen uno optimè inter ipsos cõueniat, quod bonis malè perpetuò velint. Sic innocens ab omnibus semper impetitur ouicula. Huic quandoq; coruus in dorsum aduolans cum immaniter adunco rostro laniaret, de iniuria secum ouis ita expostulat, ut in se quidem dicat inermem & imbellem sæuire, non perinde ausurum in cane, quem fors monstrabat, vires suas periclitari: at coruus nil eo motus, nosse se probè quid faciat, respondet.

FRVSTRA contra eos querimonias instituimus ac nostrum ius prætendimus, qui ex aliena calamitate ac ærumnis voluptatem capessunt.

Infa-

Infamis inermium oppugnatio.



Viduæ & pupillo nõ nocebitis. Si læseritis eos, vociferabũtur ad me, & ego audiã clamorem eorũ: & indignabitur furor meus, percutiãq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Exod. 22, 23.

VVLPIS ET APIVM.

Pedicæ vulpes illaqueata cùm ab Apũ aculeis ita pungeretur vt cruentata exterius tota appareret, ab alia quadam vulpe vti à se eas insectas abigeret admonetur: ipsa sibi parum tutum id consilium videri asserit, quòd abactis saturis cruorisq́ plenis, recẽtes ac famelicæ aduolaturæ sint, multoq́ grauius quàm quibus iam sanguine distentus venter, quod reliquum in corpore est, exsucturæ sint.

Vetus prouerbium est naturæ characteribus cuiusuis animo insculptum, E duobus malis minus malum semper esse eligendum.

Mino-

Minoris mali è duobus cauta electio.



Sed melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.
Daniel. 13, 23.

AQVILAE ET VVLPIS.

VVLPI *quondam Aquila insidiata, catulos rapit, atque in altum subuolans ad suum defert nidum, id fors vulpes interueniens conspicata, cum tunc quidem nil aliud ob prolium raptũ, quàm aëra minis questibusq́ꝫ complere posset, altè menti illatam iniuriam infigens, occasionẽ vindictæ præstolata, ardentem arbori in qua Aquila nidulata erat supponens facem, pullos aquilinos, matre nequiquam ad eorũ clamorem aduolante ac nimium serò opitulante, fumo flammaq́ꝫ suffocat, id suo malo docens Aquilam, quod ipsa minimè antea norat, vindictæ nemini præclusam esse viam.*

COMMONEFACIT hic locus vel minimos sępenumero vltionis occasionem nancisci, ideoque temerè violandum esse neminem.

Peri-

Periculoſus aliorum contemptus.



Qui iniuriam facit, recipiet id quod iniquè geßit, & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.

Coloſſ. 3, 23.

AMI-

AMICORVM DVORVM ET VRSI.

AMICORVM *par iter ingressum, dū variis colloquiis viæ tædium leuarent, fortè ingentē sibi vrsum obuiam occurrentem haud magno à se interstitio formidine perculsi cernentes, lōgo deliberandi spatio exclusi, à se inuicem viatores separantur: scandit hic arborem, ille in terram confestim mortuum se simulans (nam à cadaueribus abstinere vrsos protritum est) proruit: cui cū vrsus immoto humi procumbenti appropinquasset, mortuum ratus, suum iter prosequitur: quare ex arbore socius conspecta, cùm extra periculū cuncta esse animaduerteret, ad amicū reuersus, Quid ei in aurem vrsus susurrasset anquirit: Hoc est, inquit, vt tui similes amicos fugerē, eorumq́ue suspectam amicitiam haberem, qui secunda tantū fortuna amicitiæ iura colunt.*

AMICVS certus in re incerta cernitur.

Fu-

Fucatæ amicitiæ nota.



Omnis amicus dicet, Et ego amicitiam copulaui:
ſed eſt amicus ſolo nomine amicus.
Eccleſ. 37, 1.

ASI-

ASINI ET CATELLI.

Cvm catellum hero abblandientem, carúmque eo nomine esse animaduertisset Asinus, cœpit secum iniqua vitæ sorte penitius introspecta, queritari, catellum in otio & deliciis viuere, se plagis verberibúsque tundi, huic dominum blandiri, ipsumq́ue vicißim domino. suam igitur ruditatē incusans, eandem herilis gratiæ demerēdæ viam ingressus, qua non ita pridem vsum canem viderat, inconditis blanditiis rudens, primoribus herum pedibus, lepidè scilicet applaudens, concutit; vnde à seruis citato gradu accurrentibus insigniter fustigatus duro cuidam rustico ad labores emancipatur diuenditurq́ue.

In fictionem ac hypocrisin comparata est fabula, hortaturque nos asini infortunium rectè incedendum esse, neque à vitæ statione temerè ad aliam cui minus sufficimus, deflectendum esse.

Ne-

Neglecta Sparte.



Et insiliens homo in eos in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Act. 19, 16. Act. 8, 19.

LVPI ET AGNI.

Ex eodem *dum lupus agnusq́; riuulo fors biberet, hic ex inferiori, ille ex superiori laticis scaturigine sitim restinguebant: Agno viso turbari sibi ab eo aquam cænoq́; permisceri improbus insidiator ac helluo cauillatur, atque his vel similib. agnum vocibus adoritur; Te etsi taurus fuisses, in eam vmquam proruptum fuisse audaciã, neutiquam existimassem. at agnus malitia hostis probè cognita, formidine animũ percellente, dum se modestè excusare conatur, his ab eo verbis reprimitur: Itáne iactabunde mihi patris tui per omnia similis audes responsare? etiámne verbulum audes hiscere? non impunè hoc feres, sed dabis mihi pro ista tua audacia vel morte hodie pœnas.*

Calvmniatorvm malignam notat nocendi libidinem, qui quauis atque adeò nulla occasione captata, ex insontium moribus, malitiæ quæstum faciũt: neque aliâs magis in sinum gaudent, quàm cùm bonorum vitam, famam, ac fortunas in discrimen adduxerint.

Affe-

Affectata improborum nocendi malitia.



Vnde princeps & satrapæ quærebant occasionem vt inuenirent Danieli ex latere regni.
Daniel. 6, 4.

FVRIS ET CANIS.

F VR quidam effractis noctu foribus cani domestico excubanti panem obiicit, ne se ædes expilantem proderet: at ipse sui minimè muneris oblitus, nequaquam sibi hoc pacto os obturari patitur, sed latratu clamoribusq́; furis prodita præsentia, domesticos excitat, ipsumq́; effractorem grauiter his verbis increpat: Toto aberras cælo flagitiose verbero, si me vtilitate ac commodo illectũ existimationis meæ iacturam tuo celato crimine subiturum existimas, aut me lucelli cupiditate famam fidemq́; venalem habere autumas.

DETERRET à flagitiosa proditionis ac infidelitatis infamia seruos, dum incorrupti fidissimi animantium canis in herilibus rebus tutandis constantiam depingit, quo exemplo iure omnes permoueri debent, vt castè atque inuiolatè fidei sacra seruent: quando neque apud eos è quorum vsu est proditio eiuscemodi hominum genus vmquam bene audiat.

Germanæ fidelitatis in proprij commodi aſpernatione, exemplum.



Si eſt tibi ſeruus, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta. Eccleſ. 33, 30.

CANIS INVIDI ET BOVIS.

VILLATICVS *quidam canis in amœnißimo quodam prato volutatu, latratu, natatione atque id genus aliis oblectamentis genio indulgens, vt bouem eò pastum procedentem cerneret, arcere ipsum intemperanti petulantia atque insolentia à pastu consueto impensè conatur: bos importunum canem comiter compellans, ne sibi suo iure vtenti faciat iniuriam, aut à pastu excludat obsecrat, cum quòd neque suo hæ dapes palato conueniant, tum quòd nihil in ea pascua ipse iuris obtineat: at frustra cum iniurio rationum momenta aspernanti, bos contendit; nam etsi fœnum suis non seruire vsibus minimè inficietur, haud mediocrem tamen sibi oblectationem voluptatemq́ue afferre.*

VSQVEADEO deprauata plurimorum hominum sunt ingenia, vt quibus ipsi frui bonis nequeant, ea aliorum vsibus inuideant, malintque omnia pessundare quàm alienæ egestati permittere.

Æstuans

Æstuans inuidiæ nocendi libido.



Rursus contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patêre inuidiæ proximi. *Eccles. 4, 4.*

EQVI ET ASINI.

Ingenti sarcina onustus Asinus, & equi vnà secum iter facientis pabulum baiulans cum oneri succumberet, equi auxilium implorat; qui nulla asini miseratione motus, otio ac voluptuariæ vitæ commodis lasciuiens, ad comitis preces obsurdescit; exspirat onere enectus asinus. id dum agaso conspicit, grauiter admodum petulco salientiq́ue equo succensens, qui partem laboris in se suscipere recusarat, iisdem quibus antea asinum, oneribus premit, ac plagis emollitum suo maximo docet incommodo immiti feritate deposita, pietatis ac mansuetudinis affectu aliorum miseriis & ærumnis condolescere.

Non iniuria istorum hominum miseriis insultatur, qui vsqueadeò secunda fortuna insolescunt, vt non dico proximi calamitatibus non moueantur, sed iis etiã opitulari renuant, qui pro ipsorum salute vitæque commodis, maximos labores exantlarunt.

Iuſtum immiſericordiæ præmium.



Anima impij deſiderat malum, non miſerebitur proximo ſuo. Prouerb. 21, 10.
Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem Christi. Galat. 6, 2.

CORVI ET VVLPIS.

VVLPES sui semper similis cùm religiosum ducat à maiorum degenerare moribus, susque deque habet quem suis fraudibus impetat, neque eodem quo ipsa, improbitatis iure perfusis, parcit: itaque coruum opimi casei frustum rostro gestantem ac arbori insidentem dum conspicit, laudare etiam atque etiam ipsius plumas, dignumque prædicare si syluestre eius ingenium plumarum candori (mendaci illud assentatione) responderet, cui obsequium reliquæ aues præstent; quem sibi etiam regem eligant: qua laude coruus gestiens dū crocire, veluti commendantis applaudens encomio, incipit, vanè seipsum titillans, casei frustum ex ore cadere permittit: quod dein à vulpe hoc videlicet venante vt assentatione epulum eliceret, excipitur.

ASSENTATORVM eæ sunt artes; vt verborum lenociniis laudum ac popularis auræ cupidorum hominum mentes incantando, opes ac facultates, vel derisa demum ipsorum dementia, deglutiant.

Dam-

Damnoſa incautis aſſentatio.



Homo qui blandis fictisq́ſ ſermonib. loquitur amico ſuo, rete expandit greßibus eius.

RANAE AC MVRIS.

QVALIS inter ranas muresq́ belli (quod peruetusto Homerico carmine nobilitatum est) tempore quondam fuit contentio, non dissimilis, rebus inter ipsos compositis (discordia etiam inter amicos gliscente) ranæ muriq́ æmulatio fuit. rana etenim pastui saginæq́ quærendæ, iuxta littus oberrans dum murem conspicit veteris simultatis recordata, vltionis adesse tempus rata, sinistri nihil suspicantem musculum ad prandium inuitat, sublatumq́ humeris per aquas subuecturum se pollicita, dum in mediis esset vndis excutit submergitq́: at maximo suo malo veteris inimicitiæ refricans memoriam, dum ab hoste reluctante haud ita facilè expediri posset, vulturi aduolanti vterque præda fit.

HABET eā in hominum morib. affabulatio energiam, vt improbos demonstret rarissimè vel numquā supplicium euadere: nam quod ait Horatius, Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo: ita & mus exsoleti propemodum delicti, & rana præsentis muricidij luit pœnas.

Præ-

Præda hoſtium ex amicorum diſcordia.



Omne regnum in ſeipſum diuiſum, deſolabitur; & domus ſupra domum cadet.
Luc. 11, 17.

RANÆ AC BOVIS.

Cvm fors opimũ quendam in amœnißimo prato bouem rana conſpiceret, ecquid ipſa tantillo corpore ſit, boue interim inſigni mole, cornuta fronte, ſuperbis palearibus ornatũ oſtentante, queritur: ac boui appropinquans, propriã humilitatẽ calũniata, cũ ſe ſuperba quadã iracundia exiliens vltra vires, bouis magnitudinẽ æquare conata, attolleret, media crepat, iliisq́ ac ſanguine humo aſperſo, diſcit docétq́ non eſſe hoc alterius virtutẽ æmulari, ſuæ conditionis ac viriũ oblitum, arroganter criſtas erigere. atq́ oportunè hac à ridente boue reprehenſione perſtringitur: Cedo miſera cur tibi præſtitiſſet mihi corpore fuiſſe æqualem? ſcilicet ignorabas quamplurimos tibi perferendos fuiſſe labores ac moleſtias, à quib. te natura corporis exigui beneficio vindicauit.

Is oppidò omniũ calculis felix cenſendus eſt, ſua qui viuit ſorte contentus; tantoq́; eſt beatior in humili vitæ genere, quàm in faſtigio rerum collocatus, quanto paucioribus rebus indiget, quantoq́; eius venter minus, vt inquit ille, quàm alterius capit.

Præ-

Præpoſtera & inutilis arrogantia.



Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Prouerb. 29, 23.
Tu humiliaſti ſicut vulneratum. Pſalm. 88, 11.

CERVI SEIPSVM IN FONTE CONTVENTIS.

CERVVS *corpore membrisq; in fontis latice attentius consideratis, pedes plus quàm par erat vituperiis maledictisq; inceßit, cornibus omne decus laudemq; attribuit, hoc vnico venustatis ac magnificentiæ ornamento gloriatur, ignarus equidem adhuc quid pedes possent, quantum cornua obessent; nam cū per patentes campos pedum beneficio venatorum manus effugeret, atq; ad virgulta non multò pòst vepresq; perueniret, his cornibus irretitur, ac canibus fit præda, à quibus laniatus præposteras suas laudes incusans, pedes qui se toties antea seruarant, vituperasse ingemiscit, laudasse autem stolidè hosce ramos, qui sibi interitûs mortisq; caussa extitissent.*

PLERISQVE omnibus singulari quadam naturæ deprauatione hoc vitium innatum est, vt spretis iis quæ quammaximè nobis vsui sunt, vltrò perniciosa accersamus, fastuque ac superbia tumidi nobisipsis calamitatum omnium fenestram aperiamus.

Stul-

Stulta laudis ac vituperij permutatio.



Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui. Ierem. 49, 16.

Væ, qui dicitis malum bonum & bonum malum. Eſaiæ 5, 20.

CO-

COLVMBARVM ET ACCIPITRIS.

CVM *Miluus implacabile contra columbas bellum atque inexpiabiles inimicitias suscepisset, (quî enim potest glutonibus rapacibusq; cum quoquam nisi commodi caussa conuenire?) neque vllis vmquam induciis locũ faceret, diuturna hostis afflictione victæ columbæ, dũ charybdim euitare conantur, in Scyllam peioresq; scopulos incidunt: accipitris enim opem implorant, quæ ipsis præsidio contra Milui impetum esset; atque adeò regem hunc sibi etiam deposcunt. famelicus ille conditionem acceptat; imperiumq; ita in innocentes exercet, vt non magis fœtui quàm matribus parceret, sed & has & illos deuoraret.*

IN tyrannos principes, regiamq; impotentẽ dominandi libidinem, qui pro libitu violata fide seipsos legibus soluẽtes, omne truculentiæ genus in subditos designant, parũ illud attendẽtes quod sanctissimè ab Imperatore dictum est lib. 6. C. tit. de testam. Licet lex imperij iuris solemnibus Imperatorem soluerit, nihil tamẽ tam proprium imperij est, quàm legib. viuere: quapropter tyrannorum contra tyrannos solicitanda non sunt auxilia.

Ty-

Tyrannorum ſollicitatum auxilium.



Ecce confidis ſuper baculum arundineum confra-ctum iſtum, ſuper Aegyptum: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: ſic Pharao rex Aegypti omnibus qui confidunt in eo. Iſaiæ 36, 6.

CERVI ET EQVI.

CERVI etiam odio equus, sed impari ratione meliusq́ promeritus, vtpote qui dolo malo ageret, columbis nil mali vmquam comminiscentibus, humano auxilio accersito, sibi exitium parat, pollicitus se homini post nauatam operã quacumq; in re obsecuturum: conditionem vrgente equo, ita homo accipit, si se sessorem, frena, calcaria, & id genus quæ ad debellãdum ceruũ necessaria videbuntur, pati non recuset; passurum se hæc & plura, modò ceruus vincatur, equus annuit. homo igitur equo conscenso ceruum insequitur, telóque sternit: atque ob eam rem summis ab equo laudibus affectus blandè compellatur, rogaturq́; vti se dimittat: verùm tantum abest vt libertatẽ consequatur, aut se amicis verbis redimat, vt hominis etiam voluptati, submisso in alterius perniciem collo iugo, seruire coactus, intolerandis operis pressus, vitã ad extremũ ærumnosè finierit.

IVSTAM illi Nemesin experiũtur, ac digni sunt, qui malè pereant, qui vt aliorum vitã in discrimen adducãt, turpi seipsos atque ignominiosæ seruituti addicunt.

In-

Inquietum alienæ felicitatis odium.



*Lacum aperuit & effodit eum: & incidit in fo-
ueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in
caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius
descendet. Psalm. 7, 16, 17.*

VVLPIS ET HIRCI.

VNA Hircus atque Vulpes æstuante siti vehementer pressi, in cisternam quandam desiliunt: ac hircus procliui quidem descensu, ascensu non itidem æquè facili considerato, vereri se inquit, ne ibi capiatur, maximeq; hoc laborare quonam pacto se ex hoc loco expediat: quem vulpes bono iubet esse animo; euadendi se viam iam animo concepisse, si prior ipsa è puteo ascendisset. monet igitur hircum vt anteriorib. pedibus contra murum erectis, capiteq; modicè inclinato scalæ sibi vicem subeat. id vbi hircus fecisset, ac vulpes cisternæ marginem, extra omne periculum constituta, obtineret, hirci his verbis taxat inconsiderantiam: Si tanta menti tuæ prudētia, quot barbæ ac mēto pili, inesset, haud tam temerè scrobem, egrediendi ratione non præmeditata, ingressus esses.

PRVDENTIS est ita rerum antecedentia & consequentia ponderare, ne inconsiderata temeritate in discrimen veniat.

Falla-

Fallacis credulitatis exitium.



Qui citò credit, leuis corde est, & minorabitur.
Eccles. 19, 4.
Abominatio Domini est omnis illusor.
Prouerb. 3, 32.

LEONIS ET VRSI.

LEO *omne quadrupedum genus (in hæc enim ipſum tenere imperium nemini incognitum eſt) ad bellum quod animo verſabat, inſtructum paratumq; eſſe iuſſerat: hic vrſus cùm fors duorum aſini & leporis meminiſſet, ecquid hic pauidiſsimus animantium contra hoſtem præſtare, aut iſte ob inſignem ſtupiditatem bello vſui eſſe poſſent? aſinum quidem ait leo dum inconditè rudit, auibus metum incuſſurum (eandem fortaſsis vim quam porci grunnitu contra elephantos obtinent) at leporem ob ſingularem ſuam celeritatem pedumq; pernicitatem, ſpeculatoris ac hemerodromi ſimul functurum optimè munere, rerumq; quæ in bello gererentur, ad ſuos nuntios allaturum.*

VIGILANTIS Reipubl. adminiſtratoris eſt ſubditorum ſuorum ita habere explorata ingenia vitęque rationem cognitam, vt nullius vel viliſſimi inutilem publicis commodis patiatur eſſe operam.

Vtilitas Reipublicæ è ſingulis membris.



Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt.

1. Cor. 12, 22.

MVRIS ET NITEDVLAE.

Mvs quidam à Nitedula (agreſti muri hoc nominis eſt) inuitatus, ac frugali piſarum ferculo exceptus, percupiens pari eam comitatem beneuolentia compenſare, nitedulam viciſsim inuitat, atque cum mure ad domeſticas epulas properat; limen tranſgreſſa, ſplendidum quidē rerum omnium dapumq́ apparatum inuenit; verùm vt inter conuiuandum crebrius à puero penariū ingrediente ſua gaudia interturbarētur, adeoq́ opiparæ illæ dapes redderentur inſipidæ, muri his verbis ſe non magnopere intempeſtiuo hoc conuiuio delectari declarat; Quanto, inquiens, mecum ac ſecurè mihi viuere eſt iucundius, quàm in hac tanta rerum abundantia formidoloſis deliciis diffluere!

Privatam curisq́ue ſolutam vitā, publicæ multò & ſecuriorem & amœniorem eſſe monet fabula, tenuemq́ue menſam nitenti, regiisq́ue dapibus, frugalem vulgi victum multo eſſe ſæpenumero ſapidiorem.

Deliciæ periculoſæ, ſecura frugalitas.



Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur.

Prouerb. 7, 22.

AVCVPIS ET TVRTVRIS.

INDVSTRIVS *quidam auceps nulli arte sua secundus, cùm fors autumno in arundineto, aucupij faciendi caussa delitesceret, raraq; tetendisset turdis (vt inquit ille) edacibus retia; neque turturi, vt fit, lucri cupidine, minus quàm reliquis insidiatur auibus; eumq; sua subdolè in retia illexisset, à colubro ex arundineto prorumpēte lethali morsu sauciatur, præsentisq; mali memoria occupato aucupe, è casſi turtur elabitur; eiq; hisce verbis auolans insultat: Verè nunc fatue quòd tanto astu ac molimine nostræ innocentiæ ac integritati insidiatus sis, pares sceleribus tuis diis vltoribus pœnas rependis, eandemq; in teipso experiere necem, quam nobis molitus fueras.*

RATIONI consentaneum est, vt scelerum suorū ac crudelitatis talionem recipiant, omniumq; ope destituantur, quibus malè aliis facere volupe est.

Insi-

Insidiæ insidiatori insidiosæ.



Non affliget Dominus fame animã iusti, & insidias impiorum euertet. Prouerb. 10, 3.

MON-

MONTIS PARTVRIENTIS.

MONS *quidam maxima accolarũ ac prætereuntium admiratione se huc illucq́ commouẽs, quamplurimos viatores sistit, alios rei nouitate ad se videndum excit. iamq́ confertæ turbæ auidißimè quorsum hic aßiduus motus euasurus esset, exspectanti, Faceßite hinc properè, inquit, quandoquidem iamiam pariturus sum. quo montis mugitu non modò hominibus, sed & tellure, vti verisimile est, perterrita, dum horrendum aliquod monstrum opperirentur, murem enititur, cunctósq́ summa antea formidine insoliti aliquid exspectantes, in risum resoluit.*

TVM rectè parturire montes dicimus, cùm thrasonica ingenia plenis buccis, spretis cõtemtisq; aliis gloriosè de se multa iactitare, reipsa verò non modò nullas laude dignas actiones edere, sed tales etiam quibus se omnib. deridendos propinent, cernimus.

Fal-

Falſæ rerum vmbræ.



Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat; & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.
Pſalm. 36, 35, 36.

PAVONIS RELIQVARVM ALITVM REGIS ELIGENDI.

NE AVIBVS *ſuum non deeſſe regem quenquam turpi quadam inſcitia fugiat, ſollicitã in eo deligẽdo deliberationem hiſce fabulis aſſuã. Comitiis indictis, cùm de diuerſis conſultarent, ac pauonis magnificentiam decusq́ pennarum conſideraret, in eius pænè electionẽ omniũ ſuffragiis conſenſum eſt: iamq́ regiæ dignitatis apicẽ conſecutus haud dubiè fuiſſet, niſi ſolus picus reliquorũ rogationibus obſiſtens, anquiſiiſſet, ſi quid ab hoſtibus periculi immineret, quonam propugnatore vſuræ eſſent; neq enim ea rerũ facie idoneum fore pauonẽ rei adminiſtrandæ, cui ſi pennarum venuſtatẽ demas, nihil quod rege (cuius eſt punire malos ac remunerare bonos) dignũ adſit, vti qui neq viribus niti poſſet, neq militaris ſciẽtiæ cognitione.*

FORMAM regiam, ſi corporis ſolam dimenſionem atq; analogiã conſideres, exigua ac pænè nulla in principe laude dignam eſſe, niſi virtutum decus cumulusq́; accedant, pauonis elegantia picus conuicit.

Re-

Regis ac magiſtratus officium.



Væ tibi terra, cuius rex puer eſt. Eccleſ. 10,16.
Beata terra cuius rex nobilis eſt. Eccleſ. 10, 17.


BO-

BOVIS AC VITVLAE.

Bovem habens villicus ac vitulam, splendide hanc otioseq́ue saginabat; illum agricolatione ac quotidianis laboribus ita subigebat, vt abdomini coërcendo alio exercitio egeret nullo: adhæc ei insultare vitula lasso ac defatigato domum à laborib. redeunti consueuerat, afflicto dando afflictionem, ærumnosum, vti verè erat, non citra fastidium vsque compellando. at boue paulò pòst diu beneq́ue saginatam vitulam mactandam ad carnificinam deduci vidente, suam conditionem trutinat, ærumnosam felicitatem vehementer laudat; esse hanc laboribus obnoxiã vitam, multis nominibus, vitulæ voluptuariæ præferẽdam, iudicat, eáque seipsum ratione in posterum consolatur.

Vitvlae nos exitus hortatur, rarissimè fieri, vt voluptas mœrorem secum non trahat; cumq́ue in bonorum ac malorum fine ac felicitate iudicanda tam facilè cæcutiamus, nullius nos debere apparenti beatitati inuidere.

Damnoſa & infelix felicitas.



Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, replebitur egeſtate.
Prouerb. 28, 18.

BVTEONIS ET CORNICIS.

BVTEO cùm oſtreum in littore maris repeperiſſet, vehementerq́ue in eo aperiendo laboraret, neque quicquam proficeret, videns id cornicula commodùm ſibi hic aliquid fieri rata, callidũ commenta conſilium Buteonem accedit, monet vt in altum ſubuolet, oſtreumq́ue in ſaxum aliquod delabi permittat, ita fore vt petræ illiſum, comminuta teſta facilè aperiatur. Buteo dolum non olfaciens, ſed ſanum ſibi ſuppeditari conſilium arbitratus, dum hac aperiendi oſtrei ratione vti conaretur, cornix aduolans, delabens oſtreum bolumq́ue quẽ tam auidè exſpectarat, excipit, ac Buteoni præripit.

IN fraudulentis in poſterum conſiliis facilem nimis aurem præbentes, ac nimium leuiter credentes, quibus hoc plerumque vſu venire ſolet, vt facilitate ſua decipiantur.

Frau-

Fraudulentum consilium.



Consilia impiorum fraudulenta. Prouerb. 12, 5.
Rapinas meditatur mens illorum, & fraudes labia illorum loquuntur. Prouerb. 24, 2.

AQVILÆ ET CORVI.

DVM è conferto opimarum ouiũ grege fertili lætiſsimoq́ʒ cãpo paſcente agnũ Aquila correptũ in aëra auolans ſuſtolleret, atq; id fors coruus ex proxima arbore cerneret, præſumptuoſa quadã virium ſuarum fiducia peſsimum aquilinæ rapacitatis exemplum amplexus, pinguiſsimi cuiuſdam arietis dorſo inuolans, dum altius vngues cuti defixiſſet, neque improbo conatui fortuna fauiſſet, fruſtra ſe id attentaſſe edoctus cui impar eſſet, auolandi ſibi facultate adempta, ab opilione capitur, dignus qui ſuam graui ſupplicio violentam temeritatem indoleſcat.

VLTRA vires nihil cuiquam attentandum eſt; ac meminiſſe oportet eos qui præcipiti audacia quiduis aggrediuntur, ſeipſos ſuaque omnia perdere: atque vt ſapientiſsimi Epicteti ſententiam ſuperiorib. connectã, ſi quam perſonam quę vires tuas ſuperet indueris: tum eam indecorè geres: tum eam quam ſuſtinere poſſes, negliges.

Vti-

Vtilis ſuiipſius notitia.



Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Eccleſ. 3, 22.

GALLI GALLINACEI GEMMAM INVENIENTIS.

GALLVS *gallinaceus pabulũ in fimeto quæritãs, pretiosiſsimũ ſorte adamantẽ inuenit: quem cùm roſtro aliquoties pinſuiſſet, neque vllum ex eo ad ſe commodum permanaturũ diſceret, vtpote quem nec comminuere, nec in ſuam alimoniam conuertere poſſet, indignabũdus eum aſpernari, triticiq́ꝫ vel ſiliginis granum ei longè anteferre incipit. Ecquis, ſtomachanter inquiens, huius gemmæ vſus? cur illa eſt mortalibus in pretio? cur eius cauſſa vltimas terras tanto cum periculo explorant? mihi ſanè nunc penitus, quotquot eam tanti faciunt, deſipiunt, neq; vident quantum vnicum frumenti aut adorei ſeminis granum iſti præſtet.*

CVM fabula lippis & tonſorib. ſit notiſſima, neque vlla alia quæ vulgo ſit familiarior; mirandum eſt, nullius minus vſum perſentiſcere homines: quot enim quotidie reperire eſt, qui non quiduis temeraria quadã ignorantia calumnientur ac vilipendant, eoq; doceant populari ſermone tritam hanc ſententiam eſſe veriſſimam, Scientia non habet oſorem niſi ignorantem: neque hallucinatum poëtam cùm diceret,

Ignoti nulla cupido.

Igno-

Ignoratus opum vſus.



Quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cùm ſapientiam emere non poßit? Prouerb. 17, 16.

APRI ET ASINI.

APER *quondam Asino tarditatem atque somnolentiam obiectans, videri sibi ait eò natũ, vt in bustuariis ac inter fœtida cadauera vitã degat, indignum qui cum reliquis animantibus conuerſetur, aut quem ad ſuos etiam homo vſus, licet viliſsimos, adhibeat; propriam autem agilitatem ac vires inuidioſa laude decantat, ac curſu etiam pernicitatis ſpecimen edit: aſinus glorioſam apri oſtentationem, atque immodicas laudes nauſeans, Ea mihi, inquit, pedum agilitate opus non eſt, cuius vitæ, vti tuæ, inſidiatur nemo.*

DISCIMVS eos vt plurimum multis rationibus eſſe feliciores, ſecuriusq́ue vitam traducere, qui vel ob animi tarditatem doli expertes ſunt, vel quòd publicas functiones ac Reipubl. adminiſtrandæ munia eiurarint, non magnopere popularem auram conſectantur, his, quibus vberem natura ingenij ſagacitatem condonauit.

Stoli-

Stolida ac inutilis præſumptio.



Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Sap. 5, 8.

DVELLI VOLVCRVM, QVADRVPEDVMQVE.

Cvm inter aëreas terrestresque bestias graue quondam periculosissimumque bellum, aut de pomœriorum ac imperij finibus propagandis, aut damni iniuriæve ab alterutra partium alteri illatæ (incertum enim adhuc est, ac vetustate obliteratum, quæ fuerint discordiæ belliq; semina) exarsisset, vespertilio volucrũ generi tamquam debiliori metuens, diu anceps, quadrupedib. se demũ adiunxit: verùm auibus victoriam fortuna suppeditante, fugam vnà cũ quadrupedibus capessit vespertilio, atque ex eo ob infidelitatẽ suam, non ausa ad aues remeare, interdiu perpetuò delitescit, ac noctu malè sibi conscia, euolat.

In scelestos ac improbos proditores, quos vtinam etiam hoc tempore pudor ac criminũm conscientia ex omnium oculis eximeret, obiter & in mercenarios illos homines, qui nulla æquitatis habita ratione, duarum controuersarum partium hanc tuendam suscipiũt cui fortunam magis comitem, quàm ducem virtutem fore sperant.

Infi-

Infidelitatis comes infamia.



Qui non est mecũ; contra me est: & qui non congregat mecum, spargit. Matth. 12, 30.
Omnis qui malè agit, odit lucem. Ioan. 3, 20.

RA-

RANARVM ET REGIS EARVNDEM.

ANARCHIÆ *ne an Democratiæ; neque enim illud certò ausim asseuerare, alterutrius certum est; pertæsæ ranæ, regem sibi à Ioue postulabãt. ille rogantium crebris precibus ac importunitate fatigatus, annuit, truncumq; è cælo in mare deturbat: qui cùm regiis auspiciis atque magnificentia regni gubernacula suscepisset, moderatiq; ac indulgentis regis personam præ se ferret; ranæ noui atque insigni humanitate conspicui regis faciẽ contemplatæ, non se talem regem qui exanimis sit poposcisse aiunt: ac poscentibus alium, ardeam ipsorum regni, pacati antea ac tranquilli, depopulatorem, ob ingratitudinem, mittit Iupiter.*

QVANTVM Reipubl. intersit optimos habere principes, quantoque sint regnis vsui, & quàm ex aduerso sanguinarij & crudeles graui ruinæ, ex hac liquet fabula, quæ & seruilem eorum taxat animũ, qui moderata popularis imperij dulcedine (vti olim Israëlitica gens Iudicum administratione) pertæsi, monarcham ac regem sibi efflagitant.

Pœ-

Pœna populi ob faſtiditum bonum principem.



Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Iob 34, 30.

LVPI ET CAPRÆ.

PABVLATVM *Capra abiens, obseratis foribus capellæ seriò mandat, ne cui pulsanti ostiũ patefaciat: id fors in insidiis latens lupus ignara matre audierat, ratus idoneam eius absentiam suæ nequitiæ fore. è vestigio ad caprile properat, ostium pulsat, intromitti se postulat: Capella autem materni mandati non oblita, cùm per fenestram ecquis esset aut quid vellet percontaretur; matris hypocrita personam induit, cupere se intromitti. illa se cuiquam aperturam negat, qui nõ consuetum matri symbolũ proferat. lupus se quidem eius oblitum ait, at vt intrepidè aperiat instat. capella aliquid ali monstri suspicata, identidẽ pernegat, additq́; quòd illius dumtaxat clauis præsidio aperire possit, ac destitutam se symbolo modum simul aperiendi oblitam esse.*

HAVD facilè fallitur qui legum prescriptis morem gerit atque obtemperat.

Tu-

Tuta filiorum erga parentes obedientia.



Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Exodi 20, 12.

Alienum non sequuntur [*puta oues*] *sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum.* Ioan. 10, 5.

CANIS AB VMBRA DECEPTI.

INCEDENS per pontem canis, nec-aspernandum mordicus ore carnis frustum gestans, cū maiorem suo solis radiis admodum collucentibus in amne umbram cerneret, esse quid magnum ratus, dimissa carne, auidè è ponte in aquam id quod apparebat apprehensurus desilit, ac serò stolidus opimo epulo amisso se deceptum conqueritur: nemini ne fortunæ quidem suam iacturam imputans, sed cæcæ suæ auaritiæ acceptum referens, quòd tali prandio priuatus esset.

MVLTÒ satius est paucissima certò ac indubitatè possidere, quàm plurimorum incerto ac ancipiti casui obnoxiorum spe, quibus frueris bonis, ea deserere, seraque damni perpessi pœnitentia, amissam fortunam ac pristina commoda collaudare.

Stul-

Stulta certi pro incerto commutatio.



Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.
Eccles. 5, 9.

LIGNATORIS ET SYLVÆ.

A SCIAM Lignator quidam destitutam manubrio inuenerat: eam suis vsibus accommodaturus syluam continuò adit, lignū aliquod quod ei iniungeret, emendicaturus. obsecrantem sylua audit, votiq́ reddit compotem, vnico quod petebat ligno liberaliter communicato, ignara interim improbum vllas animo texere fraudes, aut versare dolos sub pectore, fucata blādaq́ fronte: inserto dein securi manubrio veluti phrenesi percitus ad nemus reuertitur, atque exiguo temporis spatio cæsis amputatísque vniuersis arboribus summam ei vastitatem inducit.

INCONSIDERANTIAE non modò sed & furori extremo persimile est, hosti arma suppeditare, quibus in nostram ruat perniciem: atque præpostero obsequēdi gratificandiq́ue aliis affectu nosmetipsos perdere.

Sup-

Suppeditata hosti arma.



Benefac humili & non dederis impio; prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit. nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis quæcumque feceris illi. Ecclesʃ. 12, 5.


GRACVLI PAVONVM SE PLVMIS EXORNANTIS.

GRACVLVS *inuentis in dumeto quodam pauonũ plumis, ita ſe demũ & pauonis nomẽ & dignitatem conſecuturum exiſtimat, ſi ſuis eas pennis inſeruiſſet. neq; ſegniter id quod animo conceperat reipſa exequi conata, pulchrè eas ſibi affingit aſſuitq́;, atq; audacula latituram ſe perſonatã pauones ſperans, eorum ingerit conſortio: at ipſi hunc qui fraude in ſuum nomen ac ſocietatẽ irrepſerat, vel ex faſtu atq; arrogantia inſolitæ conditionis cognitum, ſuis quilibet plumis repetitis è ſuo cum ignominia exturbant contubernio. graculus ad ſuos reuerſus tantis excipitur dicteriis, quantis ab illis fuerat exploſus, quòd vana quidẽ præſumptione his ſe prætuliſſet, eorum autem ſe ſodalitio aggregaſſet, quorum conſuetudine indignus erat.*

IN laudis ac gloriæ immodicos affectatores, qui vel eum ignominia aliundè mutuãt quo ſuam vanitatem aliis venditent.

Fa-

Faſtus ex alienis opibus.



Quid autem habes quod non accepiſti? Si enim accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?
1. Corinth. 4, 7.

CERVI ET BOVM.

CERVVM canes insecuti cùm in extrema adigerent, stabulum ille capessit boum, eorumq́ supplex contra canum rabiem tutelam implorat. cui boum quidam ita petenti respõdet: Ah te miserum, viden' quàm tibi debiles eligas vindices? attamen cùm in extrema deuentum sit, reconde te in hoc fœno; nos te obiectis corporibus quantum licuerit occultabimus. ingreditur interea magister stabuli, ac ceruum studiosè inuestigatum multis verberibus emollit enecatq́.

TVM verè potest dici ad restim rediisse res, cùm calamitosi eorum qui ad extrema redacti sunt, neque minori quàm nos, calamitate obruuntur, opem imploramus, adeoque est deploratorum infortunata conditio, vt quamuis diu seipsos fulcire ac sustentare conentur, ad extremum tamen miseriæ succumbant, neque è calamitatis gurgite eluctari possint.

De-

Deploratum ac desperatum auxilium.



Et dixerunt: Non videbit Dominus.
Psalm. 93, 7.
Intelligite insipientes in populo: Qui finxit oculum, non considerat?

LEONIS PRÆDAM ASSECLIS VENATIONIS DISPERTIENTIS.

LEO famelicus cũ vestigatore cane, lupo ac vulpe ad venationem proficiscitur; eiq; ceruus fit præda, quẽ quadrifariam hac vel simili (ne quid ei falsò affingamus) oratione sociis diuidit: Vestrũ nemo est, sodales, qui sibi & generosissimi & iure cæterorũ animantium regis leonis virtutes exploratas non habeat, aut qui ei tãtis dotibus prædito, vt reliquis longo interuallo præstet, mercedẽ digno inuideat: quocirca cũ in expeditione primus fuerim prædæ diuisæ, mihi primã partẽ vendico: alterã propter animi præstantiã: tertia vel vestro iudicio corporis virib. debetur: quartã quòd maiori vos conatu prædam cõsectatus sim: quod reliquum est, vestræ sit industriæ præmium.

MVLTA dissimulare, multaq; tolerare eos necesse est, qui in principũ versantur aulis, neq; hos tantũ, verũ etiam tenuioris fortunæ homines, qui ditiorũ cõsuetudine vtuntur, vt apposite admonuisse videatur poëta,

Pauper agat cautè, caueat maledicere pauper:
Multaque diuitibus non patienda feret.

Inæ-

Inæqualium infida ſocietas.



Pondus ſuper ſe tollet, qui honeſtiori ſe communicat. Et ditiori te ne ſocius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? Eccleſ. 13, 2, 3.

OVI diem dicit lupus, litemq́ debiti nomine intendit: illa contrà suo iure vsa indebiti sese exceptione tuetur. lite contestata ad testium asylum confugit lupus: canem igitur, miluum, vulturemq́ eodem omnes rapacitatis cauterio inustos, contra ouiculam subornat. ita illi contra misellã dicunt testimoniũ, vt non modò lupo debere perfidè mentirentur, verumetiam dignam esse pronuntient, quæ omni sua fortuna, facultatibus ac possessione deturbetur, ac morte etiam debitũ luat. illa crudelem ac pertinacem potentiorũ vim formidans, nequiquã se defendere conata, atroci calumniantium iudicio opprimitur.

INIQVORVM iudicum insignis contra innocentes malitia ac corruptæ sententiæ hac fabula perstringuntur; quanta item sit pseudomartyrij seu falsi testimonij contra innocentium bona, opes ac vitam deniq; ipsam vis, innuitur.

Inno-

Innocentia iniquo iudicio oppreſſa.



Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuſte iudica proximo tuo. Leuit. 19, 15.

LEPORVM PANICO TERRORE PERCITORVM.

LEPORES è *densissimo quodam nemore maxima vi ventorum tempestatumque agitato, subito terrore commoti dum diffugerent, fit ut attonitis incerta fuga palantibus sese palus ranis scatens offerret; aquam eæ fortè maximo numero ad solem apricaturæ egressæ, in littore consederãt: at leporum inopinato aduentu exterritæ in aquã sese abdunt. quod dum conspicerent lepores, & has maiori impetu quàm ipsi antea, diffugere animaduerterent, ex timore sese colligunt, sumptisque animis, sistamus nunc gradum, inquiunt, quando hic etiam animantia esse comperimus quæ nostri metu fugam capiant.*

IN timidos & meticulosos milites qui abiectam hastam ac parmam tunc resumunt, cùm hostem terga obuertere vident, tum maximè strenui vbi se extra periculum constitutos esse certò sciunt.

Infa-

Infamis audacia.



Nolite timere eos qui occidunt corpus, animã autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Matth. 10, 28.

VVLPIS ET VVAE RACEMORVM.

VVLPES *delitescentibus sub pampinis maturrimarum vuarum racemis visis, loci fertilitatem amœnitatémque vbi eæ enascebantur mirum in modum cœpit cõmendare, ita vt propemodum ad earum laudum cumulum accedere nil posset. at cùm in decerpẽdis liuidioribus præstantioribusq́ admodum laboraret, nec quicquã de ea industria reliqui fecisset, non satis autẽ pro voto conatus succederent, sed irritam suam fore operam experientia disceret, quas modò summo desiderio ambiuerat, immaturas iam agrestesq́ calumniatur, suamq́ in ea solitudine (quo nomine vinetum per indignationem nominat) agrestes consectando vuas, malè insumtam increpat industriam.*

NOTAT eorum vafritiem fabula, qui cùm ea consequi nequeãt quibus maximo labore ac indefesso studio incubuerunt, occasione è quauis re captata, falsa quadam calumnia aspergunt.

Ficta

Ficta eius quod haberi nequit recusatio.



Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.

Prouerb. 12, 16.

SIMII ET FELIS.

BALANITES (*ſic enim Plinius grandiorũ caſtanearum genus nominat*) *cocum prunis ſuppoſuiſſe notarat ſimius: quas cùm percupidè bene toſtas appeteret, neq; eximẽdi modum inueniret; catulum felis negotio deſtinat, eius pede anteriori arrepto caſtaneas ex igne profert. illa æſtus vim perſentiſcens cum ſimio expoſtulans, adeò ſibi atque ſimio teneram eſſe cutem aſſerit, ideoq; ex ſeipſo debere ſe capere exemplũ infirmitatis alterius. ſimius paucis eius querelas eludens, ſe quidem non ire, reſpõdet, infitias, habere præſens aliquid difficultatis negotium, cæterum ſe non debere eum laborem qui minimus ſit omnium, detrectare, quòd iniquum ſit otioſè quenquam viuere.*

CALLIDI ac ſimulatoris ſimij perſimiles ſunt, qui in grauiſſimis periculis priuatæ vtilitatis cauſſa aliorum vel cum extremæ vitæ diſcrimine pulchris perſuaſionibus inductorum opera vtuntur, ne pili quidem alienam iacturam facientes, dummodo ipſi extra fortunæ aleam conſtituti ſint, atque ex alieno damno lucrum faciant.

Lu-

Lucrum aliena iniuria partum.



Hi sunt in epulis suis, maculæ, cõuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua quæ à ventis circumferuntur. Epistola Iudæ 12.

EQVI ET ASINI.

EQVINVS *pullus aßiduis quidem ac quotidianis laboribus, sub miti tamen ac clementi domino exercitatus, suam deplorabat conditionem, neque esse quicquam suo iudicio ærumnosius autumabat. quæ cùm eius animum opinio vehemẽter exagitaret, vitæq́ rationẽ asperiorem redderet, incidit fortuitò in obsoletum quendam asinũ, cui quamuis præter venustatem corporisq́ deperditum vigorem ipsa ætas oneri esset, carrucæ nihilominus admodũ onustæ antilena imposita iuncto, durus agaso insidebat, verberibusq́ immaniter propellebat. quo conspecto sua & asini sorte cõparata, ita è vestigio omnem ex animo molestiã deponit, vt simul se consuetis laboribus & molestiis liberasse videretur, ac facilius in posterum suam conditionem ferret.*

HAVD mediocre miseriarum est solamen, socium non modò habere pœnarum; verumetiam nobisipsis grauius videre subinde premi alios.

Le-

Leuior calamitas ob maiorem proximi.



Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.
1. *Pet.* 2, 21.

FERRARII FABRI ET CANIS.

OPEROSIS *ac cõtinuis laboribus faber quidã ferrarius parcè ac duriter victitans, ita vt nudo pane & aqua sustentaretur, catellum suum assuefecerat, vt statis horis interdiu prandium cœnamq́ postularet: ipse tandem ingrauescẽtis ætatis onere, laborũ assiduitate, tenui victûs parsimonia impatientior factus, suũ his verbis canem adoritur: Ego meipsum inexhaustis quotidiè laboribus vt viuã eneco, carneq́ ac sanguine absumtis sola cute ossibusq́ veluti in ergastulo animam infelicem excrucio; tu otiosus indulges genio, ventrẽ curans, pingui omaso obesus euadis. at ab obloquente cane nil aliud fert responsi quàm, qui deliciis ac quieti assueuerit, eaq́ ratione iucundissimè tẽpus traducat, cur is laboribus ætatem fallere debeat?*

TALE est glutonum ac lurconum genus qui ex aliorum sudoribus otiosè viuere non erubescunt, illudque perpetuò obganniant,

—— *Deus nobis hæc otia fecit.*

Indi-

Indignum ex alieno labore otium.



Nam & cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. 2. Thess. 3, 10.

VVLPIS CAVDAM MVTILATÆ.

DVM villici cuiusdam stabulum venatura fors quippiam subiret vulpes, atq; se in manifestum adeò discrimē coniecisset, vt cauda ab insequenti villico resecta, metus gaudiiq; ob pristinā periculi memoriam & insperatam salutē plenissima elaberetur, ad suas κολλέριον *monstrū gregales reuersa, magnam se venustatis partē perdidisse animo versans, solamq; inter reliquas singulari ignominiæ nota insignitā, appetiisse ait tēpus quo vulpibus infame sit gestare caudas, ideoq; se suam amputasse, ac reliquis vt idē faxint, consulere. At vulpinam vulpes fraudē odorans, quædam è grege ita regerit: Scilicet tibi id tēpus appetiit, quo tuo exēplo discant reliquæ si tibi ista cauda recreuerit, tuas illas pulchras nates non iri visum in posterum quæ nunc omniū patent oculis.*

EA EST humanæ mētis scelerata ac deprauata natura, vt in quā eam fortuna miseriam deturbauit, huic aueant omnes esse obnoxios.

Consi-

Consilium ob rem priuatam impertitum.



Grauis est nobis etiam [puta iustus] ad videndū; quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Sap. 2, 15.

HALIÆETI SEV FALCONIS ET ALIARVM AVIVM.

NATALEM suum diem celebraturus Haliæetus, solennem omnibus auibus diem edicit, maximisq́ precibus ad eam omnes inuitat, ne frustra fecisse sumtum ac festas instruxisse dapes vllis conuiuis videatur: illæ veluti è profundo quodam somno læto nuncio excitatæ, non modò Haliæeti liberalitatem non aspernantur, sed se etiam fore insigniter iudicant ingratas, si vltrò offerentis beneficiū humanitatem nō amplexarentur. ac heu nimium credulæ ad ipsius ædes aduolant, omnia gaudij lætitiæq́ sperātes fore plenißima. at per infaustum limen vixdum ingressas ferus veterator immaniter ad vnum omnes dilaniat discerpítque.

VOLVPTATES corporisque illecebras dolor indiuiduus comes vt plurimum veluti vmbra corpus sequitur: atque hac ipsa, vt ex Platone recitat Cicero, esca malorum homines veluti hamo pisces capiuntur.

Melli-

Melli mixta venena.



Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant. Pſalm. 13, 3.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendũ ſanguinem. Pſalm. 13, 3.

LEONIS DECREPITI.

PATRABAT Leo quidam virenti ac florida ætate quamplurima mala, omnibusq́; erat iniurius: qua vitæ ratione cùm sibi decrepito omnium animantiũ inuidiam odiaq́; conflasset, viribus destituto impunè omnes insultabant: neque ferè erat quisquã qui ei amplius veluti regi, uti metu quondam fecerant, obsequiũ obedientiamq́; præstaret: quinetiam sus modò lutulentus, modò glaber depilisq́; asinus, & agresti corpore taurus, omni contumeliæ iniuriarumq́; genere afficiebant. Qua rerum conditione cùm se veterẽ compẽsare malitiã liquidò cognosceret, Hei me, inquit, infelicẽ, peßimè olim meis rebus consului quòd tantæ in me multitudinis odia concitarim, quòd tot aduersum me hostes mea crudelitate armarim.

MEMINERINT viri principes, atque ij qui rerum potiuntur, vicibus ac mutationi suam sortem esse obnoxiam, nihilque ęquè valere ad suam potentiã labefactandã quàm impotentẽ dominandi libidinẽ, ac suæ fidei creditos metu in officio continere. καὶ τύχας ἐφημέρους καὶ ἐφήμερον τυράννιδα esse, & fortunæ rotam perpetuò versatilem nunc ad summa imos subuehere, nunc summos ad ima deprimere.

Odium

Odium crudelitate demeritum.



Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq́ prospicient: Nunquid iste est vir qui conturbauit terram, qui concußit regna? Isaiæ 14, 16.

HIR-

HIRCI, AGNI ET LVPI.

DVM se mutuo amicitiæ sacramento hircus & agnus iter vnà ingreßi obstrinxissent, in amœnißimo quodam prato lupum offendunt: qui cùm vtriusque aliquandiu societatem contemplatus esset, ac dulcibus verborum lenociniis agnũ ab hirco abducere conaretur, Hunc desere, ait, mi fili hircum, meaq́ue fruere consuetudine; nam præterquam quòd grauem odorem atque mephitim exhalans omnibus oneri sit, en cornutus est œstroq́ue percitus te crudeliter quandoque enecabit. dum in eam sententiam agno lupus blandiretur, actutum, initæ amicitiæ memor, hircus accurrit, lupóque, apage te hinc cũ malis tuis artib. ait, vel hocce loco nobis improba tua astutia, ac verborum fuco quæ fellis plus ac minarum quàm mellis habent, haud tam facilè imponi comperies.

IN portu is verè nauigat, qui improborum inanibus susurris contemtis, bonorum sese consortio perpetuò adiungit, atque is sibi demum quod è procelloso mari ac tempestatum salo eluctatus sit, maxima syrti superata, in fida statione iactarit anchoras, cõgratulari potest.

Sodalitium cautè prudenterque delectum.



Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Prouerb. 1, 10.

Cum viro sancto aßiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei, *cuius anima est secundũ animã tuã.* Eccles. 37, 15.

MVS-

MVSCAE ET FORMICAE.

IACTANTI suum apud Formicam muscæ domiciliũ victusq́; rationem ita splendidã vt regium ferè luxũ adæquaret, demissa ac humili voce formica sibi pro vitæ sustentatione multos esse exantlandos labores respondet, nihil quietæ ac otiosæ dominasci: musca verò elatis verbis magis vrgens, equinæ similem eam esse vitam regerit, quæ sit perpetuis laboribus obnoxia. ac perbellè à formica ita repellitur: At est canina illa tua ignauorum porcorũ simillima, dum impudenter aliorum sudores absumis, nec cuiquã mortaliũ commodas. age verò vtra ambarum vitæ rationũ præstantior sit, euentus ipse docebit. Hiems paulò post vtriusque altercationem appetit, qua musca egestate moritur, at formica è congestis æstate seminum aceruis atque annona industriè curata, frugali seipsam victu nutrit.

QVVM in mortalium vita otio ac desidia nihil turpius sit, monet formicæ sagax diligentia quemque pro vitæ suæ ratione vel minimo etiam commercio honestè potius victitare debere, quã malorum fomite ignauia ac egestate perire.

Iucundum perperam prælatum vtili.



Vade ad formicam ô piger, & cõsidera vias eius, & disce sapientiã: quæ cùm non habeat ducẽ, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Prouerb. 6, 6.

DRA-

DRACONIS ET ELEPHANTIS.

DRACONES *adeò vastæ ac insolitæ magnitudinis in Africa nasci memoriæ traditũ est, vt certamen cum elephantis inire audeant. ex hoc belluarum genere elephanto quidam congressus cum eũ interimere conaretur, multiplici nexu implicitos poplites cauda innodat: at elephas se proboscide à dracone liberat. mox ei draco in collum inuolat, ratus famelicæ sanguinis siti restinguendæ istum præ cæteris locum esse peridoneum; ac sanguinis haustu sic eum conficit, vt nimio quẽ elicuerat cruore turgidus inflatusq; in terrã prior corrueret, atque ab elephante, sanguinis exhausti copia & veneni acrimonia debilitato, labẽte, opprimeretur; atque adeò plus sibi ipsi draco mali consisceret quàm elephanti intulerat.*

QVAMVIS tyranni subditorum immaniter carne ac sanguine pascantur, ipsi tamen ad extremum multo acerbiori quàm qua affecere alios, crudelitate malè pereunt.

Iuſta tyrannorum punitio.



Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Pſalm. 54, 24.

VRSI AC APVM.

Mel vrſus ex aluearibus depaſtus cum ab apibus pungeretur, doloris impatiẽtia iracundè aluearia euertit; quod dum facit, non paucarũ aliquot apum ſed omniũ in ſe aculeos cõuertit, ac multo quidem quàm antea pungitur grauius, at doloris vim fert leuius. Ac roſtro quidem, ſuperciliis, auribus, oculis totoq; capite ad eũ modũ ſauciis, vt momentaneam voluptatẽ ingenti nimiũ dolore comparaſſe poſſet dicere: Quanto, ait, mihi fuiſſet ſatius & ad præſens, quo iã excrucior, malum euitandum ſecurius, vnius apiculæ, mea nequitia ac iniuria prouocatæ punctionem toleraſſe, quàm vindictæ cupiditate tam graues mihi pœnas conſciſcere.

QVAMVIS vindictę quandoque locus ſit (maximè ſi dij vltores noſtras iniurias proſequantur) præſtat tamen perpeti ſubinde quippiã quàm nimis eſſe ad vindictam procliuem.

In-

Infortunium ſibi ipſi accerſitum.



Quis adiiciet enarrare miſericordiam eius?
Eccleſ. 18, 3.

CORVI ET SCORPII.

CORVVM similiter vindictæ nimia ac immatura cupiditas frustra, quia serò nimium, iustum quandoq; dolorem dissimulandum esse, docuit. Nam cùm fors à Scorpione ictus esset, atque eum iniquiori animo dolorem ferret, raptũ scorpionem in sublime sustollit, illati fors damni talionem redditurus. qui dum ita gestaretur, iteratò coruum tam grauiter pungit, venenataq; cauda ferit, vt lethale virus acreq; toxici vim per eius membra diffunderet, & vitam ei adimeret.

PERICVLOSVM est vel improbo peiorem se aggredi: crebroque fit, vt qui malum aliis machinantur, suo parent capiti insidias, atque ab iis superentur quos se superaturos sperabant.

Per-

Perniciosa vindictæ cupiditas.



Ne dicas, Quomodo fecit mihi sic faciam ei: reddam vnicuique secundum opus suum.
Prouerb. 24, 29.

LVPI OVINAM PELLEM INDVTI.

O V I N A M *lupus, dum Proteum mutatione formæ imitatur, vafrè indutus pellem, ouium se gregi adiungit, ac diu quidem opilionem latuit, ad pastum cum ouibus exiens, atque à pastione ouis in morem ad caulam remeans: quo astu cũ plurimis ille diuersis temporibus vitam ademisset, ac opilioni numerum pecudum minorem perpetuò recensenti, aliquandiu simulator imposuisset, detecta tandem fraude ipse agnitus nil suis sceleratis artibus profecit, verum eodem habitu quo fefellerat de arbore suspenditur, ac dignus omniũ prætereuntium calculis (qui primo visu ouem rati, mox lupum agnoscebant) eo supplicij genere, veluti qui condignam operibus mercedẽ meruisset, iudicatur.*

P H A L E R A T A ac picturata virtute multi præditi sunt, quos si intus & in cute consideres, mortalium dices sceleratissimos. quod hominum genus eò est perniciosius, quo serius deprehenditur, pluresq́; honesti specie decipit.

E fructu arbos cognita.



Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7, 15.

LVPI ET ERINACII.

Qvvm lupus quidam famelica rabie Erinacium deuorare auidè cuperet, neque sui desiderij perficiendi modum aut viã, quòd hirsutis spinis toto corpore contra omnem vim ac hostilem impetum optimè munitum cerneret, inueniret, aliam qua ei illudat stropham comminiscitur. veteres inimicitias sopitas esse asserit, pacata omnia, pacem autem violare religiosum esse, rogare se itaque vt armis depositis, crudeli Marte ac belli artibus, quarũ tranquillo ac florenti imperij statu vsus nullus sit, supersedeat, atque funesta arma deponat, neque se lupum qui nulla nocendi libidine, sed iuuandi studio eò accesserit, metuat. Erinacius, qui cautè metuendũ potius quàm præsumtuosè audendum didicerat, arma quæ in nullius se perniciem, sed suam contra sicarios tutelam gestare asserebat, deponere recusat.

Technarvm architectis & fraudum structoribus haud facilem esse aurem accommodandam, Erinacij prudenti monemur pertinacia, neque verborum lenociniis temerè credendum.

Spre-

Spreta inimici lenocinantis fallacia.



Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. 1. *Pet.* 5, 8.

PRECARIO à ſerpente Erinacius per hiemem commorandi diuerſorium obtinet, atque ab eo in domeſticā conſuetudinē adhibetur, nullo ipſi eorum commodorū denegato, quibus ſerpens fruebatur: at erinacius indulti ſibi grauiſsimo ac difficillimo tempore beneficij immemor, dum ſeſe in globum conuoluit, atque in hanc modò, modò illā in partem rotat, præterquā quod importunus admodum ſerpenti eſſet, ſpinarum acumine crebris punctionibus tenuem eius glabramq́; cutem grauiter ſauciat. Vnde ſerpens illum, hoſpitalitatis beneficium ingrato collatum exprobrando, rogat, vti inde ſecedere, alioq́; commigrare velit. at erinacius impudenter in has prorumpit voces: Quando tu meam præſentiam tolerare nequis, ipſe hinc excedito. itaque mutato loco ſerpens coactus habitandi ius cedit erinacio.

IN hoc hominū genus quod cū extremo mancipatui addictum ſit, herile ſibi tamē (neſcio quo faſtu) imperium vſurpat, ij vt plurimum incidunt, qui aſſentantia aliorum verba nimis facili aure excipiunt, atque in indignos beneficia profundunt.

Im-

Improbi conſortij moleſtà conſuetudo.



Non omnem hominem inducas in domum tuã: multæ enim ſunt inſidiæ doloſi. Eccleſ. 11, 31.

CHAMÆLEONTIS.

CHAMÆLEONTA *aëre pasci traditum est, adhæc patentibus perpetuò oculis, acutisq; & vngulis esse, atque ad rerum singularum obiecta colorem mutare, & cùm omnia χρωμάτων admittat genera, solum rubrum candidumq; respuere.*

EDACIVM parasitorum, vt epitheto Horatiano vtar, assentatorumq; idem propemodum est ingenium, qui cum nihilo vitam ducere videantur, potentiorũ interim domos principumque aulas frequentantes, vanitatis ac nouitatis auidorum aures confictis rumoribus titillant, ditioribusq; nequitiæ suæ fumos vendunt, atq; ita tecta ac fucata mendicitate sibi victum quæritant, quæ hominum ad voluptatem loquentium fæx, cũ cothurno sit versatilior vel chamæleonte mutabilior, iure ex bonorum consortio exterminanda est; frontem enim cùm perfricuerint, neque erubescunt neque pallescunt: dolendum tamen cũprimis est melioribus pręceptis imbutos viros huiusmodi nugatores in deliciis habere, rudioribus enim qui ad omnia cæcutiunt, & aulica assentatione assuetis aliquid indulgendum est.

Frau-

Fraudulentæ vitæ inconſtantia.



Qui dicunt impio, iuſtus es: maledicent eis populi, & deteſtabuntur eos tribus.

Prouerb. 24, 24.

ARIE-

ARIETIS ET TAVRI.

INSIGNIS *quidam in ouium grege Aries cùm vastioribus cæteris cornibus à natura munitus esset, adeò superbum ac seuerum in reliquas oues sibi imperiũ vindicabat, vt vel seorsum ab eo pascerẽtur, aut sibi ad pascua venienti primas semper tribuerent. qua ouium erga se reuerentia metuq́; factus insolentior, vel eò processit vesanæ præsumptionis, vt sibi promiscuè reliqua pecora obtemperaturum autumaret. itaque vincente temeritate prudentiam, conspectum fors taurum ad pugnam prouocat, à quo primo etiam concursu humi prostratus neci deditur.*

HOMINVM maxima pars, eorum etiam qui nulla dignitatis nota insigniti sunt, sui suarumq́; viriũ oblita, vbi se minima aliqua re præstare cæteris vident, aut functionem aliquam adepta est, non modò æqualibus intolerabilis existit, verumetiam fastu turgida maximo suo damno potentiores aggreditur.

Tu-

Tuta ſuiipſius notitia.



Arrogãtia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis. *Ierem.* 49, 16.

GAL-

QVAM *ardens ſuos tutandi ſtudium gallinæ natura ingenerarit, cum Chriſti teſtimonio, tum quotidiana experientia exploratū habemus. quare extremæ cuiuſdam negligentiæ ſimillimum foret, huius adeò fecundi animantis ac ſollicitæ matris in hoc mythologiarum theatro obliuiſci. Videtis quanta illa diligentia, dum è rapaciū accipitrum genere tres alites pullis inſidiantes caueam circumuolitant, excubet; quā eos ſtrennuè à cauea & ſimul fœtuum raptu arceat: quātoq́ ſtudio propriæ ſalutis neglectu in cariſsimis pignoribus ſeruandis vtatur, vt ea etiam præter veri propemodum fidem ex tot validorum hoſtium vnica vngulis faucibusq́ eripiat.*

TYPVM magiſtratus gallina gerit, ſuoq́ue exemplo luce meridiana clarius oſtēdit, his qui aliis pręſunt ex officio incumbere, innocentiū animas facultatesq́ue contra prædonum inſultus tueri, eosq́ue qui quacumque ratione oppreſſi ſunt, erigere.

Tu-

Tutela innocentiæ.



Discite benefacere; quærite iudicium; subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.
Isaiæ 1, 17.

AGRICOLÆ ET MVRIS.

BIBVLVS *quidam Agricola fœcundis à puero aſſuetus calicibus, cùm fors natalē celebraret, ac Lyæo diſtentus, feſtum præ foribus ignem temulentus ſtrueret, vento ſupra modum ſæuiente domum ſuccendit; quā, dum incendium depaſcitur, vnà quicquid in ea animātis erat, nullo ignē amoliente, concrematur, præter vnicum murem qui periculum euaſerat, atq; extra domum conſtitutus fugam adornabat. hic igitur à minimè ſegni agricola, vt qui præſenti damno perculſus, crapulam atq; ebrietatem concoxerat, captus in ipſum incendium hac exprobratione cōiicitur: Ah ingrate qui mihi aſsiduus in deliciis viuenti fuiſti comes, ſiccine iam afflictum deſerere conaris?*

PROSPERA ac ſecunda rerum facie amicitiā colunt omnes, rebus autem aduerſis ac deſperatis ex conferto tot amicorum numero vix vnū reperias qui germanam ſinceramque amicitiam reipſa teſtetur. atque heu nimium vera illa eſt poëtæ ſententia,

Dum fueris felix, multos numerabis amicos;
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Ad-

Aduerſis rebus probata amicitia.



Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. Eccleſ. 6, 8.
Eſt autem amicus, ſocius menſæ, & non permanebit in die neceßitatis. Eccleſ. 6, 10.

AVCVPIS ET FRINGILLÆ.

DVM *Auceps quidam rara, vt inquit ille, tetendiſſet retia, turdis edacibus dolos, neq; his ſolũ, ſed cuiuis auium generi ſparſa eſca auidius veluti prædæ inhiaret, aduolant diuerſæ ad paſtũ alites,ità vt modò vna, nonnumquã duæ, interdum etiã plures, quæ tamen eũ non æquarent numerũ quem ipſius aucupis cupiditas animo conceperat; quo fit vt cũ captura ac labore indignæ iudicarentur, bene paſtæ aucupis cõmendata negligentia iterum auolarent: ipſe interim crebrius eſcam ſpargens dum totũ diẽ inani ſpe magnæ prædæ, tereret, damnoſam ſuam vel tandem auaritiam accuſans, ne nihil profeciſſe videretur, illabentem caſsi vltimam vnicam capit Fringillam, totius diei laboriſq; præmium.*

IN cæcam auarorum cupiditatem, qui exiguo rei lucello ſpreto cùm indomito habendi deſiderio opum aceruos quærãt; & illud quod in manibus erat, & quod nanciſci poterant amittunt, & fruſtra ad maiora animum adiiciunt.

Spre-

Spreti commodi ſera pœnitentia.



Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas, non mihi placent. Eccleſ. 12, 1.

RVSTICI ET SATYRI.

RVSTICVS *dum ſatyrum in ſylua quadã ingenti rigentem frigore ac pænè enectum offenderet, commiſerationis affectu motus, eum domum ſuam, vt membra refoueat, ſecum abducit. atque vt domum contendunt, ſors ruſticus frigoris mitigandi cauſſa calorem manibus anhelans à Satyro, penſi tamen id non habente, notatur; verùm dum ruſtici tugurium ſubiiſſet, calidæq; vtrique pultis ſcutellam aut patinam (quod veri eſt ſimilius ob famem ruſticam) appoſitam ſpiritu ſimiliter ex ore afflato refrigerantem vidiſſet, ex eodẽ fonte contrarios promanantes effectus iam primum obſtupeſcens.*

QVI gelidum vna, inquit, manu laticem, ignem altera geſtant, omninò mihi in poſterum fugiendi ſunt: nam cùm amicitiam vultu ſimulent, animo improbitate ac impoſturis tecto incautis imponunt.

Pal-

Palliati ac verſatilis animi typus.



Numquid fons de eodem foramine emanat dulcẽ, & amaram aquam? Numquid poteſt, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis, ficus? Sic neq; ſalſa dulcẽ poteſt facere aquam. Jacobi 3,11.

MVRIS MAIORIS ET OSTREI.

MVS *maior (quem glirẽ pleriq; autumant, ſed quàm rectè, ipſi viderint) cùm lautis domi obſoniis quamſplendidißimè viueret, neque ei quicquam ad exquiſitam corporis curam deeſſet, domeſticas faſtidiens lautitias peregrina aſciticiaq́; quærit cupedia, ac fors conchyliorum orexi inuitatus ad mare properat, in cuius littore extemplò hians oſtreum conſpicit, quod hianti auiditate, commodum nimirum ſuo palato edulium ratus, immiſſo capite è teſta eximere conatus; ab oſtreo id perſentiſcente, conſtrictis teſtis, quod capere decreuerat, ipſe extremo ſuo damno capitur.*

COMMODA vitæ ratio non eſt temerè cum incerta atque ambigua permutanda, expeditq́ue mediocri ſorte contentum viuere, quàm ſplendidiorem ambiendo vtramque perdere, atque tolerando vitæ ſtatu abdicato in eum incidere, qui non modò noſtræ cupiditati non ſatisfaciat, verum etiam exitio ſit: quod tum etiam fit, cùm incauti à voluptatibus, quas maximo ſtudio acquiſiuimus, capimur.

Exi-

Exitiosa lautioris vitæ appetentia.



Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percußit eũ plaga magna nimis. Num. 11, 33.

AQVILAE ET LIMACIS.

LIMAX suæ etiã conditionis pertæsus humilẽ suã abiectamq́; vitã continuis calũniis incessens, ad altiorem splendidioremq́; aspirat; quamobrem Aquilam rogat vti se in sublime atque aëra euehat, sat diu in terra abiectum repsisse, tempus esse vt tandem è cœno emergat. quod vt facilius assequatur, pretiosissimam gemmam aquilæ, si suæ petitioni suffragetur, promittit. lucri spe aquila limacis precibus assensum præbet, vnguliśq; comprehensam in altum sustollit, neque conditionis oblita, gemmam exigit: quam dum limax soluere nequiret, ab excandescenti aquila vngulis constrictus, suo malo discit polliceri id debere neminem cui præstando impar sit.

A PRAECEDENTIS fabulæ sensu non multum præsens abhorret, docet quippe quàm tutum sit ingenij sui ac naturæ dona quemque excolere, neque altiora se magnopere ambire, illud præterea monẽs, ne quid polliceare quod in tua potestate non sit.

In-

Inconſiderata pollicitatio.



In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter.
Eccleſ. 3, 24.

MIL-

MILVI ET CVCVLI.

CVCVLVM *Miluus quòd vili vermiũ pastu victitaret sordidoq́ alimento ventrẽ farciret crebrius irrisum, cõuiciis etiam incessit, vecordiã pusillanimitatemq́ non frugalem esse parsimoniã, intendendos esse in res arduas animi neruos, atque vltra vires etiam aliquid subinde audẽdum magnifico verborũ apparatu demonstrat, non esse in rebus infimis acquiescendum: audaces namque à fortuna adiuuari, repelli timidos. cuculus nihil hisce motus, intra ingenij sui se limites continet, contemptissimis vilissimisq́ suis escis cõtentus: neque multò post miluum, cũ palumbis insidiaretur, in casses villici incidisse, atque è fastigio turris cuiusdam reliquo rapacium auium generi terrori hostiũq́ ludibrio cauea suspensum cuculus cernens, idoneam se calumniatoris deridẽdi occasionem nactum ratus, Si tu, inquit, vti ego vermibus vesci didicisses, has pedicas equidẽ euasisses.*

MILVI cuculique exemplum atque illius ignominia securæ nos temperantiæ victusque frugalis ádmonent.

IRRI-

Irriſoris præmium irriſio.



Propter crapulam multi obierunt; qui autē abſtinens eſt, adiiciet vitam. *Eccleſ. 37, 34.*

MIL-

MILVI ET LVSCINIAE.

LVSCINIAM *maleſuada fame adactus miluus dum raperet, ſupplex illa vt ſui miſertus innocenti imbelliq́; parcat obſecrat, pollicita ſi ſæuitia in clementiam conuerſa hoc tantum ſibi beneficium præſtet, perpetuis ſe fore miluo obſequiis deuinctam. ille luſciniæ voce rabiem aliquantulũ frenãs, ecqua igitur in re ſibi deſeruire vellet, percontatur: muſicis nimirum illa modis, inquit, tuas aures demulcebo; hanc mihi natura indulſit artem, neque aliam calleo. at tuo, ait, miluus harmonico concentu mihi famelico opus non eſt; nam cùm venter aures non habeat, eo non ſedatur, neque fami muſica ſed obſonia medentur.*

RELICTIS his quæ ſenſuum organa tantum voluptate titillant, & à nobis tamquam ἐν παρόδῳ deguſtanda ſunt, hæc ſibi parare conuenit quæ neceſſarius rerum vſus efflagitat, atque his ita incumbendum, vt quæ animum amœnitate ſola perfundunt, nullamq́ue aut exiguam vitæ communi vtilitatem præbent, in poſtremis habeantur.

In-

Indomitæ famis barbaries.



At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit Dauid quando eſuriit, & qui cum eo erant?
Matth. 12, 3.

RVSTICI ET COLVBRI

CVM fors ab operis domum brumali tempore reuerteret colonus, colubrum quendam algore sub niuibus concretum seminecemq́; quà ipse iter faciebat, reperit; quo viso statim eum beneficij in alios conferendi memoria subit, illa præsertim tã iusta alienæ miseriæ occasione. hunc itaque sublatum secum domum defert, ac luculento igne refouet. at coluber ignem caloremq́; persentiscens, repenti insolescit beneficio, nedum corrigitur: totámque domum peruagatus veneno omnia inficit. rusticus rei indignitate ac improbi colubri malitia iusta ira percitus, virus suum adhuc euomentem ascia discindit; Hãc mihi, inquiens, pro beneficio præstito rependis gratiam? hic pietatis honos?

OSTENDIT colubri nequitia ingratitudinis fœditatem ac turpitudinem, satisque declarat, cùm nihil sit sceleratius quàm accepto beneficio maleficium rependere, iustas eam improbitatem pœnas ac supplicia manere.

Male-

Maleficio beneficium compen-ſatum.



Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. Prouerb. 17, 13.

LEONIS ET HOMINIS.

DVM iter vnà Leo atq; homo facerẽt, colloquiis diuersis, vti inter itineris comites fit, tẽpus fallunt tædiumq́; profectionis leuant. de variis porrò inter se collocuti, ad eam fortitudinis speciẽ quæ corpus concernit, atq; in neruorũ robore constituta est, è familiari colloquio in disceptationem dilabuntur, nã vterq; suas quanta poterat maxima commendatione extollit vires, leo pro insita animi generositate suas acriter partes tuetur; homo pro ingenij facultate de sua laude nil reliqui facit, itinerisq́; parte emensa, cũ se fortuitò columnæ heroicum cuiusdam viri cum leone colluctantis eundemq́; interimẽtis facinus insculptũ offerret, intolerãtius sese iactans hoc factum cõmendare, leonis virtutẽ eleuare occipit; eoq́; procedit cõtrouersia, vt gloriosum hominẽ exæstuãte bile leo discerperet, ac calamitoso exemplo suarũ virium in misero & immodico iactatore specimen ederet.

INTEMPESTIVAM suiipsius vẽditationem aliorumque cõtemtum sequitur vt plurimum graue damnum aut ignominia.

Ià-

Iactantia auctori periculosa.



Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Lucæ I, 51.

LEONIS, VVLPIS ET ASINI.

QVONDAM inter Leonem, Vulpem & Asinum de venatione ineunda conuenerat, neq; segniter eam administrabant, ac suis quilibet partibus gnauiter fungẽs, cùm prædam assecuti essent opimam, tardus asellus quo stupidior eò præsumtuosior, eam viritim distribuendam sumit, primamq; sibi aßignat partium. qua asini audacia suiq; neglectu excandescẽs leo, eũ discerpit, ac vulpi sortes dispertiendas tradit. ea veteri astutia ac præsenti exemplo facta circumspectior, minima sibi reseruata, leoni aßignat maximã. Cui is subridens, quis te, inquit, tam cautam reddidit? aliena, inquit, pericula; verita ne easdem cum asino subirem pœnas.

PROCVL à Ioue atque fulmine vetus habet prouerbium, quo cum præsens consentit locus: nam cùm inæqualium infida sit societas, tutò eorum euitatur cõsuetudo. ferè enim fit, vt periculosa sit opibus viribusq; nobis dissimilium (si præsertim insigni aliqua animi ferocitate præditi sint) amicitia.

Pœ-

Pœnæ formidine conciliata virtus.



Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, confringetur.

Eccleſ. 13,3.

LEONE *à longè viso vulpes in fugam sese conuertit: iteratò hoc conspecto fit paulo audacior, ita tamē ut cominus nondū accedere prorsus auderet, neq; eius vngulis fidere; metū tamen dissimulat: at tertiò eidem occurrens, formidine omni deposita, sese in leonis familiaritatem ingerit, vsqueadeò eius in posterū domestica consuetudine vsa, vt gregalis huic facta (cuius feros vultus antea exhorrescebat) videretur. ita paulatim coalescit inter ignotos quadam animorū coniunctio: neque enim momento omnia fiunt, nec anno euersum est Ilium, nec annuo imperij Romani maiestas spatio creuit, aut ipsa demum anno condita Roma fuit.*

QVAMOBREM prudentis est magnatum sibi beneuolentiam pedetentim demereri, longoque vsu eorū sibi animos conciliare, amorem enim consuetudo generat.

Pru-

Prudens ac cauta conuersatio.



In timore, incolatus vestri tempore cõuersamini.
1. *Pet. 1. 17.*

Charissimi, obsecro vos tamquam aduenas & peregrinos, abstinete vos à carnalib. desideriis, quæ militant aduersus animam, conuersationẽ vestrã inter gẽtes habẽtes bonã. 1. *Pet.* 2, 11, 12.

LEONIS, APRI ET VVLTVRIS.

ROBVSTISSIMI *animalium leo & aper dum sibi in itinere in diuersa contendentes occurrerent, leo primus aprũ ferociter inuadit strenueq; cũ eo depugnat: ille non prouocati aut lacessiti violentia infrendẽs, animosa virtute eius ferociam retundit. spectabat vtriusq; conflictũ maxima cũ voluptate ex proxima aliqua arbore vultur, at maiori cũ desiderio exitum opperiebatur, futuram scilicet sperans in quamcumq; partẽ caderet alea sibi lucro eam pugnam; quippe qui ex alterius strage prædam occisi cadaueris cõsecuturus esset: at vtroq; suas pro virili partes defendente, longa dimicatione defatigati leo & aper pugna absistunt. itaq; vultur inani spe se lactatũ, vanoq; hactenus gaudio exiliisse cernens, famelicam rabiem mæstus auolans aliò transfert.*

FALLVNTVR sæpenumerò qui obscura ac cæca spe incerta bona auidius præstolantur. sola igitur fiducia in Deo, qui nostram spem (modò rationi consentanea sit) non fallit, collocata, nihil magnopere speremus, ne fors frustrati, magis quid metuamus.

Immaturum ac intempeſtiuum gaudium.



Spes hypocritæ peribit. Iob 8, 13.

Oculi autem impiorum deficient, & effugiũ peribit ab eis, & ſpes illorum abominatio animæ. Iob 11, 20.

LVPI ET VVLPIS.

Qvemadmodvm bonorũ amicitiam esse perpetuam, nec bonũ bono malè velle vnquã virtutis quasi legibus & necessitate certissimum est, sic improborũ facilè euerti, vti quæ malis artibus coierit, atq; infirmo fundamẽto nitatur, neq; perpetuò verũ esse, malũ malo non insidiari quotidiè discimus; id quod præsens lupi & vulpis inuidia repræsentat. hæc πολύτροπος nullius rei indigentia pressum lupũ in suo antro delitescentẽ conueniens, quid sit in caussa rogat quòd domi obsolescat, cur non interdum in agros excurrat? atque ab eo stomachanti (quòd vulpinam fraudem olfaceret) repulsam passa colono cuidã lupi lustrum prodit; qui eò accurrens lupũ conficit. illa citato ad antrũ gradu læta properans, eius prõptuaria depascitur: at ab antro reuersa, semper quidẽ versipellis, attamen minimè tum suum infortuniũ præsentiscens, à canibus discerpitur.

Invidiae ipsissimum præmium est, alienæ felicitatis inuidia perire.

No-

Noxià alienæ felicitatis inuidentia.



Vir qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat quòd egestas superueniet ei. *Prouerb.* 28, 22.

VVLPIS LEPORINAS CARNES COMMENDANTIS.

CVM *in leporarium canẽ vulpes incidisset, neq; vllam elabendi viam cerneret, anxiè secũ ecqua ratione suæ posset saluti consulere disquirit, variaq́ animo agitanti præcisa fugæ opportunitate, viriũ sublata fiducia, quod vltimũ est victis, & quò tamquam ad sacram anchoram confugere solent, arripit, caniq́ fit supplex, dedens se eius potestati; verùm vt se à victore nullo alio quàm corporis lytro redempturũ liquidò animaduerteret, oratorio fuco quem ipsa fors melius prædatore cane nouerat, ei persuadet suas rudiores agrestioresq́ esse carnes quàm quæ suo sint placituræ palato, leporinas esse delicatissimas, leporeq́ à lõgè mõstrato ipse euadit, atq; is cane insequente quod longius abesset hostis spẽ fallit; reuersusq́ sibi suã improperat malitiam, quòd se innocentẽ accusasset. nihil verò minus, inquit illa, qui te potius laudauerim, cùm tuas meis delicatiores esse carnes dixerim.*

IN hos qui aliorum vitam bonaq; in discrimen adducunt, vt se à periculo eximant.

In-

Insidiosa improborum criminatio.



Qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus.
Prouerb. 12, 17.

TAV-

TAVRI ET GLIRIS.

AT *quærat hic quispiã quid cũ Tauro gliri? quid graculo cũ fidibus? quid cum amaricino sui? quorsum adeò dißimilia nobis scena animantia ostẽtat? an vt elephantum culici aut fabæ bilum maximæ alicui rei conferat, an ne vt insulsius etiã quã Tityrus ille Virgilianus paruis cõponere magna solebat, hic aliquid in mediũ afferatur? haudquaquam. nam quæ tantam exagitare molẽ potuit, iure inter reliquas animantes aliquem locũ glis obtinet; illa enim robusti ferocisq; tauri, suas vsqueadeò iactãtis vires, vt omniũ aliorũ aspernari videretur, pede morsu sauciato, mox in suam se cauernam abdit, tauro nequiquam, se in tuto collocato, persequente, donec bilem concoquat præ antri foribus quod ob angustiam subire nequibat, relicto.*

POSSE & obesse contemptissimum, si ingeniũ viresq; ad nocendum intendat, innuit fabula, ideoq; fragilem etiam non esse floccifaciendum hostem, hac fictione demonstratur.

Con-

Contemptoris damno debilioris contemptæ vires.



Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli & bestiis terræ. I. *Reg.* 17, 44.

SIMII ET VVLPIS.

Nudis suis clunibus omnium impetitus iocis ac scommatibus simius, cùm quo suam nuditatem operiret nusquam mutuare posset, post longā demum inuestigationem vulpem insigni ac pilosa cauda conspicatus, vt sibi eius partem impertiatur obsecrat. id quo facilius impetret, vulpiq́ commiserationem moueat, duabus potissimū vtitur viis, vna nuditatis ostentatione, altera vtilitatis, quam hinc vulpes consecutura esset, si suæ petitioni suffragetur, quòd nimirum expeditior multo caudæ parte amputata futura sit. at vulpes ad eius preces obsurdescit, neq́ eius rationibus persuadetur, nulla in re sibi impedimento caudā esse asserens.

Hoc hominum genus vulpino est ingenio, cui etsi affluat quo benefacere possit egestate oppressis, sordida nihilominus auaritie effascinatum tergiuersandi perpetuò ansam inuenit.

Inopia nudi ſubleuata.



In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplemētum, vt fiat æqualitas. 2. Cor. 8, 14.

LVPI ET CÆLATI CAPITIS HVMANI.

LVPVS *aut factus hominibus familiarior, aut aliud quid inuestigaturus, veteri suo veteratorio more, cũ casu statuarij cuiusdã nobilissimi officinã ingrederetur, humano capite ita affabrè ac ingeniosè elaborato, vt bruta ad se alliceret, nedũ homines, auidissimè dudũ summaq; cũ admiratione contẽplato, in hæc demũ verba prorũpit: Sunt in te mehercle, ô lepidũ caput, quamplurima quæ vniuersos ad tuas laudes inuitãt, forma elegans pulchritudoq; è diuina quadã symmetria educta, quibus facilè omnia vincis, nullũ te artificis opus æquat: attamen cũ præstantissima ingenij dote, quæ pulchritudinis præcipua pars est, destituta sis, hominem repræsentans humani in te nihil est.*

EXTERNI lineamentorũ in corpore ductus, formæq; decor ac venustas qua supremi nos artificis manus ad miraculum vsq; exornauit, nisi animus virtute prudentiaq; excultus sit, neminẽ nobilitant: hæc enim immortalia sunt, illa aut morbo aut ætate aut alio leuissimo casu marcescunt atque intereunt.

Fal-

Fallax venuſtatis larua inanime corpus.



Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona non potuerũt intelligere eũ qui eſt, neq; operibus attendẽtes, agnouerũt quis eſſet artifex. Sap. 13, 1.

CERVI ET OVIS.

LITEM Oui Ceruus quondam modij siliginis nomine faciebat, coram lupo eam in iudiciũ vocans. ipsa etsi ob iniqui ac sibi perpetuo odio insidiantis iudicis insignem improbitatẽ iusta formidine perculsa esset, indebiti tamen depulsione (tanta enim innocentiæ vis est, vt coram sæuißimis etiam tyrannis afflicto animũ addat) cõtra actorẽ vti conata, repellitur, ac debiti solutionis à lupo rea damnata, iudicataq́ꝫ, ad certũ diẽ satisfacere iubetur. Illa iniqui iudicis metu se daturam modium stipulata spondet, iudiciiq́ꝫ maiorẽ seueritatẽ declinat. Ad dictum diem ceruus præsto est, promißi solutionem postulat: at pulchrè ab oue, quod vis metusq́ꝫ caussa addixisset, illuditur.

QVI suis opibus viribusque fisi humiliores infirmioresque opprimunt, sæpenumerò eorundem prudentia ac sagacitate, nec immeritò decipiuntur, haud exigua sua cum infamia.

Pro-

Promiſſa vi extorta.



Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indiſciplinatorum aſſiduè erit.
Eccleſ. 20, 26.

CAPRAE ET LVPINI CATVLI.

E CAPRILI *sola se pascuis credens Capra quòd cornibus mediocriter munita esset, neque feri aliquid animantis à quo sibi magnoperè metuendum in viciniis esse autumaret, in catulum lupinum incidit: is sui commodi caussa eam vehementer laudare, ei blandiri cùm per vim ob corporis adhuc imbecillitatem nil posset, obtestari demũ, his artibus via strata, vt sibi vbera admoueat, admodum se caprino lacte delectari; quod suo maximo commodo, capra autem minimo, atq; adeò nullo damno fieri posset, id rogat ne sibi deneget. capra comiter annuit: sæpius impostoris patris, impostori filio lac præbet: at factũ grandiorem lupum vereri capra incipit, atque vrbanè quod suo se facere cum periculo intelligebat, in posterum recusat, suam se perniciem alere considerans.*

INSIGNIS cuiusdam prudentię est, ita inimico necessitate vrgente commodare, vt tibiipsi non incommodes.

Præ-

Præstitum callidè inimico beneficium.



Altißimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam. Eccles. 12, 7.

FELIS ET PVLLASTRÆ.

GALLINÆ *pullum adoritur felis, ac rapacibus vnguibus immaniter correptũ mortem cõmeruisse ait. id improba duabus rationibus docere conatur. priori quòd matrem se ac sororem videntem suis oculis notasset: altera, quòd suis importunis noctem clamoribus omnibus infestã molestamq; redderet: at ille vt se fictis ac commentitiis criminibus oneratum, neq; defensioni locum esse animaduerteret, modestè excusans, neque videre matrem nec suorum quemquam, neque dolo malo pipire vt quietem cuiusquam interturbet; sed naturali quadam propensione vt reliqua animantia omnia, hos actus edere respondet. at nullis felis rationum momentis admißis immerentem voracibus dentibus iugulat.*

CVM ita in vitæ officiis cæspitare homines incipiũt, vt vtile honesto anteponant, facilem alterius nocendi occasionem captant; atque quod iure nequeunt, per vim & nefas experiuntur.

QVÆ-

Quæſita ab improbo nocendi occaſio.



Verba impiorum inſidiantur ſanguini: os iuſtorum liberabit eos. *Prouerb.* 12, 6.


DECREPITAE FELIS ET MVRIVM.

ÆTATE annisq́ onusta, vieta felis cũ murium venationi non amplius esset vt olim, idonea, eorumq́ vsqueadeò creuisse cerneret audaciam, vt sibi propemodũ impunè insultarẽt, atq adeò suam augmentarent sobolem, vt funesto domesticos malo exagitarent, tempori gliscenti periculo occurrendum rata, viribus ac corporis agilitate destitutis, prudentiam sæpius profuisse animo recolit, insigni se stropha in mactram abdit, locũ & somno & excubiis & habitationi & muribus capiendis idoneum. quò dum se crebrius mures conferrent, nil minus quàm felem excubantẽ suspicãtes, aut farinam aconito infectam, singulæ à fele imprudentes venatione minimè omnium laboriosa, sed expeditissima, capiuntur.

INGENIO pollet cui vim natura negauit, adeoq́; media suggerit prudens necessitas cùm viribus destituimur: videmus enim hic artis magistrum necessitatẽ (qui psittaco expediuit suum χαῖρε, & philomelas docuit nostra verba conari) dolum hunc contra mures suggessisse.

Im-

Imbecillitas virium aſtutia reſarta.



Aſtutus videns malum, abſconditus eſt: paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia.
Prouerb. 27, 12.

DE-

DECREPITI CANIS ET HERI.

OBRVTVS senio & decrepita ætate canis cùm verberibus crebrius multaretur, quòd venatione minus promptè quàm cũ iuuenis ac vegeto adhuc corpore esset, fungeretur, præteritos annos florentemq́ iuuentam qua in pretio atque existimatione apud dominũ fuerat, paulò altius, secum suspirans, recolit, neque obscurè suæ calamitatis caussam intelligens, cùm se sæuius indies tractari videret, heri inclementiam deprecari conatur. verùm vt se inanes excutere culmos atque immitis domini flexurum animum diffideret, in has prorumpit liberè voces: Nunc cerno tui caußâ, non mea mihi hactenus benefactũ esse, atque hanc qua nunc premor acerbitatem præstitæ operæ talionem ac compensationem esse.

APOLOGVS iniquos perstringit heros, qui famulis suis tamdiu humaniter vtuntur ac vana spe lactant, quamdiu laboribus operisque faciundis sufficiunt, ne pili quidem facientes, vbi vel morbo vel corporis viribus vel ætate fracti ac debilitati nemini amplius vsui sunt.

VTI-

Vtilitate circumſcriptus amor.



Et non eſt recordatus Ioas rex miſericordiæ quã fecerat Ioiada pater illius ſecum.

2. Paralip. 24, 22.

COLONI CVIVSDAM ET CANVM.

MAIORIS verò crudelitatis præ se & formam fert, si etiam hi ad exitium violentur quibus nostram vitam atque salutem debemus. cuiusmodi illud est quod hoc loco percensebimus. Colonus quidam graui annonæ difficultate hibernis mensibus adactus, iumenta sua mactat, ne ab iis quidem abstinens quæ aruis colẽdis alebat. qua feritate canes perspecta, in hunc attoniti modũ exclamant, Hui cũ noster adeò in eos desæuiat herus qui vitæ ipsi necessaria suppeditant, quid demum nobis futurũ existimamus, an ne vt atrocius in nos suam crudelitatem exerceat? quin igitur rebus nostris tempori consulimus, eiusq́ acerbitatẽ hinc facessentes eludimus?

QVI in suos crudelis atque atrox exstiterit, quis eũ externis clementem placabilemq́ue futurum vmquã autumarit? aut hisce parciturum quibus nil ex officio debet?

In-

Inhumanitas in domeſticos.



Benefacit animæ ſuæ vir miſericors: qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abiicit.
Prouerb. 11, 17.

ASINI AC TRIVM DOMINORVM.

OLITORI *seruiebat asinus (dignior cuius omnes misereantur quàm quē rideant, quod tamē vsitatius est) hic cū semel ab hero vapularet, Ioue̅ continuis precibus pro alio fatigat: exauditus laterarium nanciscitur, qui bonum asinum sub clitellis quotidiè excarnificatum verberibus onerabat. huic ille dira imprecatus, cùm Iouem accusare non auderet, iteratò vitæ mutationem efflagitat, ac tertio domino cerdoni traditur. ille demū ad sæuitiam nihil reliqui faciēs, immanitate superabat reliquos. tum asinus deploratam suam sortem sera mutati heri pœnitentia deflet, primumq; vtriq; posteriorum multis nominibus præfert.*

IN homines delicatulos, eos præsertim qui suam aliis coguntur elocare operam: qui cùm vitæ non admodum incommodæ, ob minimas molestias impatientes suam crebrò conditionem permutant, in peiorē perpetuò incidunt, eaque demum laudant quæ antea vituperarant.

Per-

Permutata è meliori in peiorem conditio.



Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet; & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo.

Cor. 7, 17.

ASINI, BOVIS, MVLÆ ET CAMELI.

SIMILES *cum similibus facillimè permisceri, atq; eosdẽ nullo negotio conuenire, veteri cognitũ est adagio, idemq́ asini, mulæ, bouis & cameli docet hoc loco querimonia, suas enim sibi mutuò calamitates recitant, omniũ animantiũ laboriosissima se inuicem consolantur, non aliundè petunt opẽ, quam se à præstantioribus impetratura desperant, à debilioribus non posse certò sciunt. Dũ hunc in modũ ad doloris solamen forte fortuna feriati, ærumnosam flagrisq́ subiectã vitã deflerent, impudentior reliquis asinus conscensa mula, At ego excußis, inquit, sarcinis cõmodiorem in posterum aggrediar, atq́ è baiulo eques fiã. Camelus cũ boue naturæ suæ dotes diligẽtius rimati, Quando aliis, aiũt, functionibus minus idonei sumus, iure quibus sustẽtamur alimẽta labore ac sudore cõparamus.*

NEMO asinũ magnopere admiretur, qui plurimos ex hominũ genere sortitus sit fratres, adeò desidię inertiæq́; amãtes, vt cũ omnib. ingenij adminiculis ad magnas res gerẽdas destituti sint, atq; ad solos labores nati, suiipsius obliti, omnes molestias detrectãt, mensasq; opiparas & lauta fercula sectantur.

Vi-

Victus laboriosi honestissima acquisitio.



Omnes hi[puta artifices]in manibus suis sperauerunt, & vnusquisq; in arte sua sapiens est.
Eccles. 38, 35.
Super sellam iudicis non sedebunt. Eccles. 38,37.

CHIRONOMI, SIMII ET CERCOPITHECI.

CHIRONOMVS quidam cùm simiũ & cercopithecum pyrrhicham aliaq; saltationum ac tripudiorum genera docuisset, deductos in theatrum spectandos populo exhibet. cùm iam mira illi gesticulationum varietate confertam hominum coronam ac turbæ oculos pascerent, fors simius conspicatus iuuenculam nuces è sinu proferentem atq; enucleantem, sui officij ac saltationis oblitus, effuso cursu eò aduolat, sinuq; seu præcinctorio explorato, quantum sibi satis esse iudicabat, aufert; totumq; (muliercula monstrosæ simiæ accessu magno interim metu percita) theatrum cachinnis risibusq; completur.

SIMILE quod simio iis vsu venire assolet, quiquã tenaciter combiberunt artem, atque in qua se diu exercuerunt, relicta naturæ malunt semina ductumque sequi, omnibusque sese ridendos propinare, non satis attendentes quàm scitè admonitum sit, Quam quisque artem nouit in ea se exerceat.

AR-

Artis magiſtra Natura.



Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Ierem. 13, 23.

ADOLESCENTIS CVIVSDAM ET HIRVNDINIS.

PRODIGVS *quidam adoleſcens cùm ad nuditatem propè omnia prodegiſſet, neq; præter vnicam lacernam quicquam reliqui haberet, hiemis ſæuitia paulo factus frugalior, ægrè eã aliquãdiu cuſtodit; verũ vt primũ & hac ſe carere poſſe exiſtimaret, ad veteres mores reuertitur, nam hirundine fors cõſpecta malus aruſpex æſtatẽ inibi eſſe augurãs, (oblitus eius quod vulgi in ore eſt, vnã hirundinẽ ver nõ facere) & hanc diuẽdit, ita vt præter interulam eius nuditati nihil obſtaret. verùm cùm ex inſperato ſuos iterũ hiems aculeos exerẽs ingenti eius corpus algore adureret, hirundinem ſeminecem frigoris vi conſpiciens, Heu te, inquit, infidam, tu vtriuſq; doloris cauſſa es, tui ſcilicet ipſius, quòd nimium citò in has oras euolaueris; mei porrò, quòd nimium credulo æſtatem præſagiueris.*

MATVRO conſilio ac deliberatione qualibet in re opus eſt, nihilque temerario animi motu attentãdum. Præ-

Præceps viciſſitudinis fiducia.



Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. *Prouerb.* 17, 13.

CERVI TEMVLENTI.

EBRIOSVS *quondam ceruus, longa videlicet id assuetudine consecutus ut vino esset deditus, tum se potissimũ ingurgitabat cùm genialiter amicos herus exciperet. hoc igitur cum conuiuis festum diẽ agente, secundos plurimos suo more exsiccarat calices, meroq́ʒ mentẽ adimente effusius solito omnia peragere, ebriorũ more insulsè ac inconditè vociferari, huc illucq́ʒ se mouere, & quod omniũ importunissi. erat, salire. itaqʒ in truncum impingens fœdo lapsu crus confringit, ac decocta crapula pristinæ intẽperantiæ odio, mero abiurato fit abstemius, soloq́ʒ in posterum lymphæ potu sitim restinguit.*

VINI vsus cautè moderateq; adhibendus: tantisper enim Bacchus abblãditur, dũ confertim ingestus mẽtem è sua sede deturbet; vbi verò cerebrũ euicerit, mẽbraq; ligarit, venenatos relinquens aculeos acriter pungit. quare cùm turpissima atque vtrique hominis parti sit periculosissima ebrietas, longè ab ea sapiens abhorrebit.

Ebrie-

Ebrietatis comites, peccatum, damnum, ignominia.



Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem & faciens vulnera.
Eccles. 31, 39.

AVCVPIS ET PERDICIS.

AB *aucupe capta perdix de sua agi salute verita, vti quæ soli ingluuiei seruiret, dimitti se atque auitæ libertati restitui, disertè simul ac suppliciter rogat, magnam sui generis auiũ copiam (famæ perfida atq; existimationis oblita) in retia se pellecturam pollicita; ac ferè percupidum amplioris lucri aucupẽ in suam sententiam pertraxerat, ni secũ perpendisset, quæ amicis esset perfida, quamdiu vtile esset, fidẽ hosti seruaturam, atq; incerti spe certa dimittẽda nõ esse. Indignabundus itaque, Adeon' es impudens, inquit, vt libertatem petere audeas qua teipsam indignam reddidisti, quòd alios in hoc discrimen adducere non dubitas à quo tu quammaximè abhorres, eaq; aliis tendis retia quibus ipsa irretiri nolles? te igitur ego hodie ob insignem illam animi tui nequitiam iusto supplicio ac mortis pœna mulctabo.*

INFAMIS mors ac vltimum supplicium genuina proditionis merces est.

Pro-

Proditio in proditoris caput redundans.



Si poßides amicum, in tentatione poßide eum, & ne facilè credas ei. Eccleſ. 6, 7.

GAL-

GALLORVM GALLINACEORVM ET PERDICIS.

PERDICEM *rusticus emptã cùm domũ detulisset, gallinario cũ gallis gallinaceis includit. illi ignotã alitẽ, inuidia inter ignotos atq; dißimiles innato quodam omnibus errore gliscente, rostris pinsunt ac malè contundũt: ipsa veteris libertatis recordata, vitaq; in carectis ac virgultis absque vllo quondã metu traducta, grauiter sociorũ principio ferre iniurias lociq; squallorẽ; at seipsam consolari confirmatioriq; esse animo, vbi se in seruitutẽ abreptam neceßitatis durißimo telo parẽdum esse attentius paulò cõsideraret, neq; ipsis inter se gallis eiusdẽ generis auibus cõuenire, sed crebrius dimicare, ac cruẽtatos è pugna discedere notasset, debere reputans æqui consulere hospitẽ peregrinas contumelias, quibus sibiipsis familiares iniurij essent.*

EX HOC nos loco consolabimur si sapiẽtissimi cuiusdã viri paulò altius animo defixerimus sentẽtiã, nos nõ reipsa sed iniuriç opinione lędi, faciliusq; improborũ mores tolerabimus, si ab eorũ calũniis vel æquè improbos, nedũ bonos, liberos esse posse cogitauerimus.

In-

Iniuria violenta frustra culpata.



Quando sederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sint ante faciem tuam. Prouerb. 23, 1.

AGRICOLÆ ET CICONIAE.

Ex agro *summo labore ac sudore optimè culto consitoq́; uberem triticeam sperabat messem rusticus: at herbescentes fruges tanta anserum ac gruũ copia detondebat, ut turbulentam aliquam tempestatem illorum damna æquare dixisses. quibus (variis frustra conatus eas terriculis auertere) tendit agricola retia, ac casu inuolantem capit ciconiam. illa freta sua innocentia, errore se eò delatam, quietem è uolatu defatigatam capere, neque ut suas fruges demeteret ibi consedisse asserens, rogat uti se dimittat. ille libertatem se ei non modò restituturum abnuit, postquam in suos casses inciderit, uerumetiam adinstar reliquarũ quæ tantum sibi quotidiè damni afferrent, morte multaturum.*

Improborvm fugienda esse ciconiæ exemplo monemur contubernia, ne fors cũ iis deprehensi, alienæ improbitatis cogamur pœnas luere.

Bo-

Boni punitio ob malorum consortium.



Misericordia & veritas te non deserāt, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui. *Prouerb.* 3,3.


OVIS

OVICVLAM *insecutus lupus, cùm in extrema propemodum adegisset, præsenti periculo ei pernicitatẽ conciliante, consequi non poterat: ipse nihilo segnius ei insistens, vndiq; angit: vallatam ipsa se fraude conspiciens, ac vix dum vspiam effugium patêre, in proximum quoddam sacellum se recipit. id lupus videns, pleno cursu, ouẽ insecutus, in eundem locum irruit, prædã se indubitatò nacturum autumans. at nimiæ auiditatis irrita spe falsus, cùm oui paratã decipulã gauderet, seipsum in vincula condit: nam cùm tanto impetu in sacellum irrueret, incautus à tergo sibi ostium occludit, ac iam proprij periculi præsentia percitus, ab oue omnino abstinet.*

COMPARATA est in inexplebilem illorum famẽ fabula, quibus cùm satis non sit innocentes deglubere, nisi ipsos etiam totos deglutiant, iisdem capiũtur compedibus, quas insontium pedibus collocarant.

Vafri-

Vafrities ab innocentia illuſa.



Ipſe autem cõtemplabatur eam tacitus, ſcire volens vtrum proſperũ iter ſuum feciſſet Deus, an non. Gen. 24. 21.

EPVLVM splendidiss. suaq́ maiestate dignũ symposium Iupiter reliquo deorũ cœtui struxerat: id dũ animantia rescirent, ad se cælestiũ epularũ apparatũ spectare existimantia, sua singuli donaria ac munera conuiuij cohonestandi & grati animi declarandi caussa in mediũ adferunt; neque suo deerat natrix officio, cũ rosam Milesiam purpureo suo colore omnium perstringentẽ oculos Ioui Opt. Max. offerret, diuinæ erga se indignationis ignara. ferunt enim, vt primũ corã Ioue comparuisset, & donũ & muneris auctorẽ cõtempta, cùm reliquorũ grato placidoq́ animo numen acceptarit. palamq́ in deorũ cœtu Iouẽ edisseruisse, à scelestis non esse capiẽda munera, quòd fraudis doliq́ sint obnoxia.

PECCATORES, vt ait scriptura, nõ exaudit Deus, neq; impiorũ delectatur munerib. qui nõ victimas aut holocausta, sed contritũ ac humiliatum cor postulat. id præsentissimi inter angues veneni ac profligatissimæ malitiæ hydri exemplo docet apologus.

Sce-

Sceleratorum repudiata munera.



Da altißimo ſecundum datum eius, & in bono oculo adinuentionẽ facito manuũ tuarũ: Noli offerre munera praua, non enim ſuſcipiet illa. Et noli inſpicere ſacrificium iniuſtum.

Eccleſ. 35, 12, 14, 15.

IOVIS ET APIS.

NEQVE verò minus impij preces atq; munera exsecratur Deus, aut nefanda obsecrantes in propriam ipsorũ pernitiem exaudit: id in ape supra quàm dici potest humano generi utili manifestè declarauit. nam cùm illa fauum mellis Joui offerret, atque hanc ab eo comprecaretur prærogatiuam, ut eũ sibi lethaliter pungere liceret, qui sua aluearia depopulaturus esset, gratissimo quidem Iupiter donum suscipit animo, obtestationem tamen benignus hominum sospitator auersatus, Multò quàm tu me rogasti aliter, ô apis, ait, eueniet: quẽcumq; enim tuo pupugeris aculeo defixumq; eius vulneri reliqueris, ille tibi, non tu ei, necis caussa existet. ea siquidem vitalis spiritus ei indam semina, ut eo amisso, & te vita simul priuari necesse fuerit.

INIVRIA sanctiss. pientissimiq; fit numinis maiestati, sceleratis precibus; easque in malitiosè precantium capita retorquet.

EX-

Exoſa numini improba petitio.



Cùm vidiſſent autē diſcipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerūt: Domine, vis dicimus vt ignis deſcendat de cælo, & cōſumat illos? Luc. 9, 52.

MILITARIS EQVI ET SCROFÆ.

PHALERIS, *stragulis, ephippio plumisq́ magnificè ornatus equus ad militiā proficiscitur, aut ibi gloriosam ac citam mortē oppetiturus, aut domum victoriā reportaturus lætam. Scrofamq́ prætergressus his à cœnosa sistitur vocibus: Itáne te miserū in ancipitē Martem mortisq́ manifestum discrimen tui oblitus præcipitas? cur te demēs is perditū? Tu verò, inquit equus, scrofæ sugillationē retundens, boccine in luti volutabro te vllā immortalitatem consecuturum arbitrare? an te ignoras saginatam ingloria turpiq́ morte animā amissuram edituramq́? me verò dum pro hero meo mortē oppeto, nominis ac famæ immortalem gloriam, qua obscura hac tenebricosaq́ vita multo præstantior est, consecuturum.*

IGNAVI atq; inglorij homines nauci faciunt suo more probrosum sortiri vitæ exitū, modò ipsis in deliciis viuere liceat: generosus autem atq; heroicus animus, spretis contemtisq́; voluptatibus, nominis, famæ vitæque honestè traductæ laudem ac perpetuitatem ambit.

Glo-

Gloriosa mors ignominiosæ comparata.



Et audiui vocē de cælo, dicentē mihi: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriūtur. Amodo iā dicit spiritus, vt requiescāt à laboribus suis: opera enim illorū sequuntur illos. *Apocal.14, 13.*

ASINI ET EQVI.

MISELLVS quidã asinus magno lignorũ fasce onuſtus, inſigni apparatu inſtructũ comptũq; equum eminus cernens, felicem ſtatim pronũciat, & ſua ſententia oppidò beatũ; ſuam è contra ſortem deplorans, infelici ſe ſidere, atq; adeò quarta, quod aiunt, luna natũ, non cernuũ modò ac humilẽ eſſe, ſed perpetuis verberibus laboribusq; premi ingemiſcebat. accidit, vt eundẽ non multò poſt cataphractũ, grauiq; armorũ põdere preſſum, ad arduam quandam militiam ablegari videret: hic ſuis ærumnis cum periculoſa equi pompa collatis; Malo nunc, inquit, vilis ego abiectusq; aſinus eſſe, ac quotidianis ceruicẽ laboribus domare, quàm feræ militiæ crepitantia arma ſectari, aut militari zona cinctus cruenti Mauortis aleam iactare.

NEQVE opes neq; honores vlla hominẽ felicitate perfundũt (creſcentẽ enim ſequitur cura pecuniã, maiorumq; fames) ſed cupiditatũ animi refrenatus ardor. quo fit, vt multo freqũeter is poſſit eſſe felicior cui plurima fortuna negauit, hoc ipſo cui ad explẽdas delicias atque exquiſitas voluptates nihil deeſt.

Fraudulenta ac fucata mundi felicitas.



Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.
Prouerb. 16, 32.

PRÆCEDENS *nos fabula docuit, quã trãquillè nostra & eorũ vita, in quibus omnia splendida esse existimamus trutinata, subindè inter naturæ terminos conquiescimus, præsens optima eam ratione confirmat, cùm demonstrat humiles eo periculo exẽtos esse, in quo ij versantur qui ambitione quadam lubricũ gloriæ callẽ emensi vanitatis præcipitiũ obtinent. Nam cũ ferax quidam equus adẽto iugo ingentẽ baiulantẽ sarcinam, neq; oneris magnitudine de via decedentẽ asinũ sibi obuium haberet, atq; excandescẽs pedib. se eũ, ni cedat, conculcaturũ minaretur, asinusq; elata voce cõsternatus thrasoni locũ daret, fit post aliquot annorũ decursum, vt tristi senecta obsitus equus, phaleris ab hero spoliatus, fimo sordibusq; euehendis mancipatus, ab Asino fors cõspiceretur. hic igitur illi asinus fastum cũ voluptate exprobrans cõtumeliæ memor, Túne, inquit, ille equus es quem ego olim iactantẽ huc illucq; iubas, spumantiq; ore superbos è pectore anhelantẽ spiritus, mihi insultantẽ cognoui, cedo nũc, quonã pacto ad probrosam hanc vitam deuolutus es?*

INSOLENTIA ac contumacia talionis secum legem adferunt.

Felicitatis odioſa inſolentia.



Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Luc. 1, 51.

GAL-

GALLOPAVI ET GALLI GALLINACEI.

GALLVS *quidam gallinaceus inflati tumidiq́; animi tanta philautia æstuabat, vt sui generis volucrem toleraret nullam: quare cũ Gallopauum (quẽ Indicum pauonẽ alio nomine indigetant) iisdem commorari locis quibus ipse, gallinis item & pullis ob tranquillam & pacatam vitæ consuetudinẽ gratum esse resciſceret, æmulatione quadam crudele & atrox contra eum bellum suscipit: quod cùm tantopere incrudesceret, vt pullastris etiam metum incuteret atq; à galli conspectu longè arceret, gallopauus vti quietis amans, ita continuæ pugnæ ac litium osor acerrimus, veteri renuntians domicilio, nouos lares eligit, bene eum vixisse iudicans qui bene latuerit.*

IN ἀξενίαν & barbaram inhoſpitalitatẽ, rudesq́; eorũ mores qui peregrinũ ſecum cõmodè habitare neminẽ tolerant. quo vtinã vitio ſolus Euxinus põtus ab Apollonio notaretur, neq; Chriſtianæ ſectæ pleræq; nationes (contra Pauli doctrinã, cũ tamen barbariem exuiſſe videri velint, barbaris ipſis extrema quadam barbarie turpiſſimo inhoſpitalitatis crimine peiores) adeò infectæ eſſent.

Ius

Ius hoſpitalitatis violatum.



Si habitauerit aduena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei.
Lucæ 19, 33.

MIL-

MILVI ÆGROTANTIS.

MILVVS post longam scelerũ & vitæ improbæ actæ periodum, iusto Dei flagitiorũ vindicis recteq́; factorum remuneratoris iudicio graui infirmitate afflictus, matre accersita summo animi affectu eam rogitat, vti pro incolumitate sibi restituenda Deum comprecetur. at illa inusitata quadã matribus erga natos seueritate ipsum increpans, hisce magis magisq́; verbis affligit: Itáne deum impiorũ misereri putas, qui sua lege iussisq́; contemtis, prospero rerum successu sui obliuiscuntur? an ipsum flagitiosorum acerrimum vindicẽ esse ignoras? iure igitur tibi ista nũc obuenire, tuáque ob latrocinia sæuientem hunc in tuo corpore morbum experiri existimato.

RATIONI consentaneũ est, vt qui prospero rerũ statu ac integra corporis valetudine ingratus diuina oracula cõtemnit, deiq́; obliuiscitur, is vicissim à summo numine rebus afflictis, ac membris suis muniis destitutis, iusto optimi Dei iudicio corripiatur deseraturque.

Pœ-

Pœna neglecti diuini cultus.



Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Psalm. 65, 18.

STRV-

STRVTHIOCAMELI ET LVSCINIÆ.

TEMPVS *nunc est vt in scenam philomela prodeat, quæ amœnissimi veris non aduentantis fallax prænuntia, sed varia herbarum florumq; venere luxuriãtis, diuina sua harmonia iucundissima siren hac anni parte mira hominum aures dulcedine titillat: hanc miremur quòd cum auium præstantissimis nunc cum vulture, iam cum pauone, hoc etiam loco cum vastiss. Struthione contendat. nam cùm ille plumarum venustate superbiret, hæc suo cantu nullũ illi laudis locũ relinquebat, ita se demum vterq; laudat, vt sibi in reliquas optimo iure imperiũ deberi assereret: hæc suo se cãtu amantũ lenire dolores, ille pretiosis suis plumis varias ad ornatũ ac magnificẽtiã gentes vti, primũq; in cõmerciis vẽdicare sibi locũ asserebat: illa ne qui primas laudũ decantandarũ sibi partes vindicarat, obtineret etiã vltimas, Struthionis plumas inanis ostẽtationis mancipatu obscurans, Struthiocamelo relicto auolat.*

PERSTRINGIT eorum stoliditatẽ apologus, qui ob aliquod naturæ beneficium, cæca quadam philautia, sese dignos & idoneos imperio iudicant.

Odio-

Odiosa propriarum virtutum præconia.



Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si enim accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4,7.

CICONIÆ DECREPITÆ.

CICONIA *omnium quas vastus terrarũ ambitus ac fluens illud aëris pelagus alit auium sola vincit in pullis suis educandis reliquas cura atq; industria, ac reciprocam quandam pietatẽ à suis experitur, insigni exẽplo mortales sui erga seinuicem officij, vbi res & necessitas postulant, admonẽs; confundit autem pullorum gratitudinis vicariæ admirandum paradigma, plurimorum hominum, heu fœdam ingratitudinem: nam adeò religiosè naturæ legi parentum sollicitudine suscepta obsequuntur, vt cũ hi consenuerint, flagitiosum nullaq; satis pœna expiandum in ipsorum censeatur Republ. curam eorum abiicere vel egestatem non subleuare. ita fit, vt cùm adhuc implumes ac imbecilli corpore fœtus à parentibus nõ negligantur, neq; hi vicissim ab iis quibus vitã impartiti sunt, nulla ipsorũ imperiũ sedula cura pietate administratum, egestate squalleat.*

MONET nos rationis lumine orbata ciconia parentũ curã suscipere, neq; hos inopia aut senio pressos deserere, & qui nos tam sollicitè in hanc lucẽ produxerunt, aluerũt, grato animi affectu deficiẽtes subleuare.

Vica-

Vicaria prolium ac parentum pietas.



Exultat gaudio pater iuſti: qui ſapientem genuit, lætabitur in eo. Prouerb. 23, 24.

ASINI VARIIS ESCVLENTIS POCVLENTISQVE ONVSTI.

RIDICVLVS ille asinus qui toties repetitus nunc aliã personã sustinet, ac ultimũ se in scena spectandũ exhibet. exquisitissimis cibis potuq́; onustus alimenta aliis & defert & subministrat, cùm ipse interim ipsa propemodũ sarcina enectus, vili carduorũ esu ac undæ potu frigidæ famẽ sitimq́; expleat atq; depellat, nulli quàm sibiipsi similior, perpetuò aliquid sua natura dignũ insulsè cõmittens; multorũ antẽ asinorũ aures suo exemplo detegens, ac fabulosam rẽ ad veritatẽ traducens, sordidos homines nimiumq́; ad rẽ attentos prodit; qui cùm auctiorẽ ampliorẽq́; suam reddere familiã maximo conatu student, incõparabili labore per omnem vitã ea congerunt quæ ingratis liberis, nepotibus ac posteris dilapidanda relinquant, atq; ipsi interim sui corporis animiq́; crudeles carnifices existunt.

DEPLORANDAM igitur auaritiæ seruitutem, opumq́ue flagitiosum mancipatum graphicè depingit fabula.

Inops

Inops opulentia.



Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatē Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. hoc vanitas & miseria magna est.

Eccles. 6, 2.

CYGNI ET CICONIÆ.

QVID faciundum quídve omittendum in vita multorum animantiũ exemplo didicimus nunc, quando virtutis arduus callis est, vnáque omnes maneat nox, & calcanda semel via lethi, hanc quo animo aduentantem noctem excipere debeamus, ab olore petamus; ille sibi mortẽ imminentẽ præsciens, canora voce argutè cantãs, à ciconia quadã intempestiuum gaudiũ obstupescente, Ecquid tanta voluptate perfundatur anquiritur. negat ille hoc ciconiæ mirum videri debere, quòd seipsum consoletur, atque insolita quadam lætitia gestiat, postquam sibi partam tranquillitatẽ in propinquo esse, tantarumq́ molestiarum ac curarũ, quibus irretitus hactenus fuerit, metam se consecutum videat.

POSTQVAM statutum sit omnibus semel mori, & æqua lege necessitas sortiatur insignes & imos, cygni exemplo magno & heroico animo mortem contemnere discamus, & quam fata nobis laborum metã destinarunt, ad hanc veluti athletæ in palæstra ad brauiũ alacriter accurramus.

Generoſus mortis contemptus.



In malitia ſua expelletur impius: ſperat autem iuſtus in morte ſua. Prouerb. 14, 32.

VT QVAM *philosophandi ratione᷑ à tetricis humanæ vitæ laboribus ac molestiis inchoauimus, dulcedine quadã quietis permulceamus, producamus vnicum phœnice᷑ qui catastrophe læta, quale᷑ decet esse comicum exitum, hunc actum absoluat. Tradunt hunc post sexcentorum sexagenum annorum ætate᷑ arborem in felicis Arabiæ solitudinibus propter fonte᷑ aliquem seligere, in eaq; lignorum strue atq; odoriferis arborum ramalibus congestis nidulari, pòst nidum valida alarũ complosione, (solis obuersum radiis) accendere, ac semetipsum medio rogo ingestum concremare, ex huiusmodi autem conflagratæ materiæ cineribus enasci vermem qui renouatum phœnice᷑ reddat.*

CHRISTI seruatoris morte ignominiosa cruentã se patri pro nobis victimam immolantis atq; gloriosæ & admirandę resurrectionis beneficio nobis vitã reparantis typũ gerit phœnix. ille nobis re ad calce᷑ perducta laboris nostri finis sit, qui α & ω, principium ac finis rerũ omniũ gloriosus ille phœnix vnitatis mysterio ad vnũ ouile nos traducet; in eo nos oportet hic spiritu renasci, in eo computrefacti cadaueris molem in admiranda illa corporum restauratione ad nouam ac immarcescibilem vitam reparari.

Iuuenilia ſtudia cum prouectiori ætate permutata.



Deponite vos, ſecundum priſtinam conuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Epheſ. 4, 22.

PHOE-

PHOENIX *mihi propemodum silentiũ imposuerat, ac florida illa æternæ ac beatæ vitæ spes theatri fores occluserat, nisi Ciconiæ religio post vltimum illud Plaudite, breuem hanc admonitionem attexere iußisset: vt videlicet illius exemplo, quæ annuas fœtus alicuius oblatione Deo persoluit primitias, nosmetipsos ad virtutis cultum obseruantiamq; stimulantes, puri cordis ac pectoris thura ei adoleamus; id quod procliue facere fuerit, si lernæa vitiorum hydra superata, virtuti viam fecerimus, tantoq; propensius id facere auebimus, si diuini promißi certa spe nosipsos fulcierimus. Iustus enim vt palma florebit. Virtutis autem orbem duobus potißimum humanæ vitæ officiis non Christi modò elogio, sed philosophorum etiam testimoniis absoluerimus, si diuinos summo numini ac debitos honores exhibeamus, ac pari affectu reliquos mortales quo nosipsos prosequamur.*

Iusti-

Iustitia omnibus partibus absoluta.



Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Eccles. 12, 13.

FINIS.





